AUTHOR:

KRAMPE, ALOYSIUS

TITLE:

DE DIALECTO LACONICA; DISSERTATIO ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

[1867]

Master Negative #

93-81317-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.7
K86

Krampe, Aloysius,
De dialecto Laconica; dissertatio philologica quam... in publico defendet Aloysius Krampe... Monasterii, Brunn, [1867]
70 p. 21 cm.

Thesis, Münster, 1867.

53541

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/22/93 INITIALS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
DIALECTO LACONICA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XI. MENSIS IULII MDCCCLXVII

IN PUBLICO DEFENDET

ALOYSIUS KRAMPE

GUESTFALUS.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

FAUTORI STUDIORUM SUORUM

BENEVOLENTISSIMO

AUG. HOELSCHERO

PROFESSORI GYMN. MONASTRIENSIS

SACRUM.

Prooemium.

Quum, de rebus dialecticis disputare quam difficile sit, neminem fugiat, commentationem dialecti Laconicae suscepturus veniam petere cogor, ne adolescentis ingenio si quid inest adhuc rudi nimia audacia accusetur. Contentus ero, dummodo ne futurum sit, ut

Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

Iam praetulit facem Ahrensius, qui vir doctissimus nostris temporibus, quae praeclara et obscura in literis plurima effundunt, opus summa laude dignum de dialecto Dorica universa conscripsit; singulas autem eius partes non separatas, sed coniunctas tractavit, nisi quod nonnulla, quae Laconibus peculiaria sunt, velut ϑ in σ, σ in ϱ aut spiritum mutata suis locis seposita diligenter examinavit; attamen in tanta copia rerum summa totius operis singulas species dialecti adumbrari, multa dicenda, complura, quae iam dicta sunt, aut augenda aut corrigenda eum reliquisse mirum non est. Neque igitur inutile neque ingratum fuerit, Laconum, praestantissimi Doriensium populi, ut res gestas, mores, ita etiam dialectum penitus cognoscere. Atque hanc rationem sequar, ut vetustissimo sermone Graeco in comparationem vocato indagem, utrum Lacones servaverint an mutaverint. Qua re fiet, ut, quandocunque ille me destituerit, ad linguas cognatas,

Latinam, Sanscriticam, alias confugiam. Sed — larga enim materia proposita est — in formarum tantum descriptione versabor, constructio et vocabulorum, quae Laconibus propria fuerunt, congeries in posterum tempus differantur.

---

§. 1. De universa dialecto Laconica eiusque indole.

I. Ut Lacones genere Dorienses iique validissimi et quasi propugnatores fortis illius populi Doriensium ingenio, moribus, institutis usi sunt, ita linguae quoque et sermonis vinculo, argumento ortus certissimo, cum gentilibus suis coniuncti fuerunt. Quod iudicium totius antiquitatis fuisse constat et testimoniis grammaticorum [1]) et dialecti indole firmatur. Quamquam eorum dialectus non omnino eadem ac ceterorum Doriensium fuit, quum singulae civitates Doricae stirpis sermone non minus quam ceteris rebus inter se ita differrent, ut summa consensio discrepantiis levioribus varietatem quan-

[1]) Cf. Iohannes Gramm. in Hortis Adonidis p. 242b: τῆς Δωρίδος πολλαί εἰσιν ὑποδιαιρέσεις τοπικαί· ἄλλως γὰρ Κρῆτες διαλέγονται, ἄλλως Ῥόδιοι καὶ ἄλλως Ἀργεῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι. Ibidem p. 243b, ubi agitur de dialecto Dorica: διαφέρει δὲ ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ᾗ κέχρηται Κυψέλας καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ᾗ κέχρηται Ἀλκμάων, Σώφρων, (corrige: καὶ ἡ τῶν Σικελῶν, ᾗ κέχρηται Σώφρων cf. infra.) Cf. Choerob. in H. Ad. p. 268b,6: οἱ Αἰολεῖς καὶ Δάκωνες, οἵτινές εἰσι μέρος Δωριέων, κ. τ. λ. Gregorius Corinthius p. 294 ed. Schaefer: εἰδέναι δὲ δεῖ, ὅτι τῆς Δωρίδος πολλαί εἰσιν ὑποδιαιρέσεις τοπικαὶ· ἄλλως γὰρ Κρῆτες διαλέγονται καὶ ἄλλως Ῥόδιοι, ἄλλως Ἀργεῖοι καὶ ἄλλως Λακεδαιμόνιοι. Idem p. 371: καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς Δωρίδος· διαφέρει δὲ ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ᾗπερ Κυψέλας ἐχρήσατο, καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ᾗπερ Ἀλκμὰν καὶ (ἡ τῶν Σικελῶν, ᾗπερ) Σώφρων ἐχρήσατο. Quae verba uncis inclusi, addit recte Koenius; fluxit mendum ex Ioh. Gr. libro.

Grammaticus Meerm., qui ex Gregorio hausit, in Schaeferi Greg. Cor. p. 656: τῆς Δωρίδος πολλαί εἰσιν ὑποδιαιρέσεις· ἄλλως γὰρ Ἀργεῖοι καὶ ἄλλως Λακεδαιμόνιοι καὶ ἑτέρως Κρῆτες διαλέγονται.

Huc faciunt quoque grammatici, si, quae Laconibus solis peculiaria sunt, universae Doridi adiudicant, quod saepius accidit.

dam, acceperit, id, quod apud omnes gentes fieri solet; cuius rei causae in aperto sunt neque eas hoc loco disquirere libet. Sed exstitit nuper vir doctus, Ahrensium[1]) dico, qui inveteratam et antiqui et nostri temporis sententiam labefactare conatus, Lacones, postquam in Peloponnesum profecti essent, Dorica dialecto repudiata Arcadicam recepisse affirmaret. Debilis autem et manca est eius argumentatio. Debuit enim, haec sola ratio est probabilis, ex reliquiis dialecti Laconum et Arcadum cognationem ostendere; neque si eam viam tentavisset, tam nova proferre ausus esset. Nam comparatione tali multa discrimina observantur: Arcades *β* in *ζ*, *λ* in *ϱ* mutant, *αο* in *αυ* contrahunt[2]); nihil eiusmodi Lacones faciunt: Lacones *ϑ* in *σ* cf. §. 14, *σ* in *ϱ* cf. §. 15, mutant; Arcadibus vero haec ignota sunt; sane omnes illas mutationes Laconicas posteriore aetate inde ab Alcmanis tempore invasisse Ahrensius arbitratur, in qua re ab eo dissentiam; nihilominus cultura et progressus linguae eiusdem quomodo tam diversa apud populos tam vicinos fuisse possit, equidem non intelligo. Denique ut omittam differentias dialectorum, Arcades natura loci munitos illo motu, qui Dorum migratione efficiebatur, non exterritos, vix tactos esse, neque Dores in eorum terram invasisse, pro certo haberi potest, atque per longum tempus ab omni commercio seiuncti manserunt. Nulla igitur Laconibus facultas communicandi cum iis sermonis fuit. Contra maxima similitudo inter Lacones et Cretenses aliosque Doriensium intercedit.

II. Sed Laconum dialectus non modo Dorica, sed etiam *Δωρικωτάτη* fuit. Cf. O. Mueller Dorer II p 505. — Quodsi ab omni parte Lacones antiquitatis amantes fuisse, in re

---

[1]) Cf. Dialecti Doricae p. 427 sqq.
[2]) Cf. Ahrens. Dial. Aeolicae p. 252.

publica, in vitae ratione aliisque rebus, historia nos docet, iam inde linguam non aliter habitam esse suspicari licet. Neque eius colore haec sententia refellitur, immo vetustissimam inter Doricas dialectum fuisse evincitur; qua nulla aut in vocalium aut consonantium usu ad reconditam illam radicem omnium dialectorum Graecarum propius referri potest. Soli enim ex Doriensibus verba in *εω* et adiectiva materiae, ut ita dicam, in *εος* cadentia in *ιω* et *ιος* exire iusserunt, satis memores antiquissimae literae j; soli vetustum sonum literae *υ*, qui est Lat. u, servarunt; non soli quidem, sed latius et maiore constantia, quam ceteri Dorienses in nominibus, quae a verbis in *ζω* exeuntibus derivantur, *ξ* et *κ(τ)* usurpant, orta ex j*σ* et j(*τ*), deinde *σ* contra vulgare *ν* defendunt, digammate utuntur; singula quaedam iis solis propria ex summa antiquitate petita addi possunt. Accedit, quod fere omnia, quae Doridi universae gloriam vetustatis vindicant, eorum quoque dialecto repraesentantur; quo pertinent *α* genuinum pro vulgari *η* aut *ε* aut *ο* aut *ω*, *τ* primum pro vulgari *δ* aut *σ*, *σ* priscum pro vulgari *ν* servata.

III. Huius ipsius autem, ut ita dicam, praestantiae laudem vitio vertere possis, si ad elegantiam et facilitatem sermonis respexeris; nam quo antiquiores sunt formae, eo rudiores esse solent; quam in dialecto Doriensium mitigata gravitatem, in Laconica autem duritiam iure appellaveris; neque fallitur Pausanias,[1]) qui ei *τὸ εὔφωνον* abiudicat. Ut omittam, quas asperitates cum ceteris Doriensibus communes habent, Lacones spiritus in mediis vocibus eoque concursus gravium vocalium, violentas assimilationes, vocales inter con-

---

[1]) Cf. Paus. III, 15, 2: . . . τῶν Λακώνων ἡ γλῶσσα ἥκιστα παρεχομένη τὸ εὔφωνον.

sonantes eiectas, praecipue apocopen praepositionum singulari quodam studio complexi sunt. Vocibus singulis fingere nobis possumus robusta illa corpora, simplices et patientes animos, audimus quasi asperos et atroces sensus, videmus tanquam praesentem illum coetum fortium virorum, quos natura, non ars educavit et coluit.

IV. Sed postquam mores prisci labi coeperunt, etiam dialectus pura evanescebat. Inde a bello Peloponnesiaco confecto quum avaritia et libido in dies gliscebat itaque patriis legibus neglectis commercium frequentissimum florebat, aliorum Graecorum cum vitiis et voluptatibus etiam sermo importabatur, non subito, sed paullatim, ut mox publica decreta nihil fere Laconici ostenderent; quae depravatio dialecti aucta est potentia foederis quod dicunt Achaici, quod Lacones opprimebat. Attamen pauperiores populi, plebs ditissimorum adversaria, duram dialectum diutius servavit; testantur nomina propria quaedam antiqua specie in titulis recentibus. Pausanias vero, quum apud Messenios maxime inter Peloponnesios peculiarem Doridem resedisse tradit, [1]) sui temporis etiam plebem Laconicam antiquam dialectum aspernatam esse indicare videtur. Tempora autem hanc contagionem antecedentia in tres aetates dividere licet; quarum prima usque ad initium Olympiadum, altera inde usque ad sextum aut quintum saeculum, tertia usque ad dialectum corruptam pertinet. Prima aetas, quae maximam genuinae linguae Graecae similitudinem habuit, plane ignota est; alterius usu F literae insignis fons exstant Alcmanis fragmenta et tituli nonnulli; tertiae auctor est praecipuus, aliis levioribus omissis, Aristophanes.

---

[1]) Cf. Paus. IV, 27: (Μεσσήνιοι) ἐς ἡμᾶς ἔτι τὸ ἀκριβὲς αὐτῆς (scil. τῆς Δωρικῆς διαλέκτου) Πελοποννησίων μάλιστα ἐφύλασσον.

§. 2. De fontibus.

Haud multae sunt reliquiae, quibus Laconica dialectus redditur. Neque minus grammaticorum opera talis argumenti, quorum complura, ut Philoxeni librum *περὶ τῆς Λακώνων διαλέκτου*, cuius mentionem facit Suidas s. v., fuisse constat, perierunt fere omnia; quae autem adhuc exstant, excerpta tantum minoris sunt momenti. Atque etiam Aristophanis Byzantii libri *γλῶσσαι Λακωνικαί* titulus solus traditur ab Athenaeo in l. III p. 77 *A*. 83 *A*. et ab Hesychio s. v. *πουρέακος*, quod damnum glossis Hesychii non reparatur. Ita fit, ut gravissimae huius dialecti non solidam et expressam, sed adumbratam imaginem fingere possimus. Fontes, ex quibus hauriendum est, enumeraturo primum locum tenere videntur inscriptiones; quarum si tantum pretium esset, quanta copia, ceteris scriptis Laconicis facile careremus. Sed quod inter tam multas perpaucae etiam pauciora, quae legi possunt, verba continentes, Boeckhii tit. 13 et 15, Leakii tit. 71 [1]) valde mutilatus, Rossii tit. 33 et 34, [2]) omnes vetustissima scriptura, antiquiorem dialectum referunt, aegre ferendum est. His tamen adiicere licet Boeckhii tit. 1511, qui satis uber Lysandreae fere aetatis, etiamsi Tegeae repertus est, dialecti Laconum aetatis tertiae testimonium adhibetur, quum Laconicum recensum exhibeat. Ceteri vero recentiores et recentissimi gravitate Laconica neglecta dialectum vulgaribus formis infectam praebent atque eo longius ab illa recedunt, quo minorem prae se ferunt antiquitatem. Quorum meliores sunt Boeckhii tit. 1325 et 1331

---

[1]) Cf. Keil. Anall. epigraphica, p. 86 sqq.
[2]) » Ross. Inscriptiones Graecae, fasc. 1.

—1335, omnes, uti editor censet, post sextum urbis Romae saeculum positi, deinde Vischeri [1]) tit. 30 et 31, fortasse Keilii [2]) duo; reliqui, Boeckhii tit. 1237 — 1325, 1326 — 1331, 1336—1506, Leakii tit. 17 [3]) ex tempore imperatorum repetuntur, ita tamen, ut tit. 1336—1338 anteferendi sint.

Scriptorum antiquissimus est Alcman (c. Ol. 27.), quem dialecto Laconica usum esse testantur Pausanias [4]) et grammatici [5]), neque false interpretandus est Apollonius [6]), qui, ubi de digammate pronomini possessivo tertiae personae ab Aeolibus praefixo loquitur, Alcmanem quoque *συνεχῶς αἰολίζοντα* digamma recepisse docet; *συνεχῶς* enim ita dictum esse patet, ut ad digammatis usum referendnm sit, quae sententia firmatur altero loco eiusdem [7]), quo *δωρίζεσθαι τὰ Ἀλκμᾶνος ποιήματα* tradit, sicuti grammaticus Leidensis [8]), recte quidem, sed minus accurate. Ob eandem causam, scil. usum literae F, Aeolicum poetam Alcmanem fuisse putat Priscianus. [9]) Sed quamquam ex hac re nihil colligi potest, quia digamma etiam Laconum fuit (cf. §. 4), permulta tamen Aeolibus propria usurpavit, imprimis *σδ* pro *ζ*, participii feminini terminationem *οισα*. Nec mirum est, quod, quum dialectus Laconum illo tempore durissima minimeque exculta et ad carmina fingenda apta esset, poetae licentia usus diversas formas Ionum, ut genit. sing. et accus. plur. II decl.

1) Cf. Vischer. Epigraph. u. archäol. Beiträge aus Griechenl.
2) » Keil. Zwei griech. Inschriften aus Sparta u. Gytheion.
3) » » Anall. epigr. p. 92.
4) » Paus. III, 15, 2: (Ἀλκμᾶνι) ποιήσαντι ᾄσματα οὐδὲν ἐς ἡδονὴν αὐτῶν ἐλυμήνατο τῶν Λακώνων ἡ γλῶσσα, ἥκιστα παρεχομένη τὸ εὔφωνον.
5) » §. 1 not.
6) » De pronomine p. 136 C.
7) » De constructione p. 279, 25 in Bekkeri Anecd. Graec.
8) » Schaefer. Greg. Cor. p. 635.
9) » Priscian. I p. 21. 22. ed. Krehl.

terminationes *ου*, *ους*, vocalem *η* in vocibus, quibus *α* genuinum est, et ceterorum Doriensium, ut accus. plur. II decl. terminationem *ος*, infinitivi *εν*, et Aeolum admiscuit atque eo progressus est, ut uno eodemque verbo Laconnm et Aeolum proprias mutandi leges confuderit, cf. *σαλασσομέδοισα* in fr. 35. Quare cavendum est in adhibendis eius fragmentis, ne Ionica aut Aeolica aut Dorica alius populi pro Laconicis venditentur; neque ex eo solo certi quidquam cogere posse mihi videor, nisi alia testimonia accedunt. Locupletissimus auctor dialecti Aristophanes est, qui in comoedia Lysistrata quae inscribitur Lacones loquentes facit, idque summa cum cura, quare eius aetatis dialecti species maxime illustratur, quamquam ne hic quidem Atticis interdum formis verborum abstinet. Eiusdem fere temporis specimen exstat in foedere Laconum et Argivorum, quod tradit Thucydides in lib. V cap. 77; sed valde corruptum est, sive Thucydidi sive librariis culpam tribuis. Certe Ahrensius nimis audacter corrigere studet.

Pauca tantum verba suppeditant fragmenta Helotum Eupolidis [1]) et pauci versus Coralisci Epilyci [2]), quas comoedias Laconicam dialectum imitatas esse, iam tituli produnt.

Tum Chilonis epistola [3]) spuria quidem est, ut recte iudicat Ahrensius; nam complures formae veluti *εὐδαιμονίζω*, *δοκέω* aetati Chilonis non accommodatae sunt; pro quibus exspectaveris *εὐδαιμονίδδω*, *δοκίω;* sed tamen, quia in universum dialectum ostendit, consuli potest.

Denique epigrammata, epistolae, proverbia, quae ferun-

1) Cf. Meinekii Comicor. Graecor. fragmenta II p. 481.
2) » » » » » III p. 887.
3) » Diog. Laert. I p. 73.

tur Laconica, apud Plutarchum [1]) partim subtilius, partim negligentius dialectum exprimunt; sed magna cautio commendanda est.

Quibus addenda sunt pauca epigrammata, quae inveniuntur in Iacobsii Anthologia et proverbium Laconicum apud Pollucem IV p. 102 et Hippocratis epistola ap. Xenoph. Hell. I, 1, 23.

Postremo decretum Spartanorum contra Timotheum [2]) falsum et dialecti legibus non bene perspectis a quodam suppositum esse demonstravit C. O. Muellerus [3]).

Adnot. Errant Maittairius et Valckenarius, qui Laconem interlocutorem in Theocr. Idyll. V. Laconica dialecto uti contendunt; neque enim differt eius sermo a permixto illo, qui Theocriti proprius est.

Grammaticorum quae exstant opera, dialectorum genera tantum, non species discernunt et semper de Dorica dialecto universa docentes, quod singulis peculiare est, omnibus adiudicant; itaque in tali re, qualem mihi proposui, nihil fere iuvant.

Lexicographorum vero maxima gratia Hesychio habenda est, qui permulta Laconica nobis servavit, quae aliunde discere non licet. **

§. 3. De accentu et spiritu.

Difficillimum est in tanta penuria fontium certa quaedam de accentus et spiritus usu proferre, ne dicam leges consti-

---

[1]) Cf. Plut. Regum et imperatorum apophthegmata Laconica; Instituta Laconica; Lacaenarum apophthegmata ed. Duebner.
[2]) » Boëthius De musica I, 1.
[3]) » Dorer II p. 316 ed. 2.
**) Aegrius desideravi complures inscriptiones post Boeckhii Corp. inscript. editas (a Leakio, Welckero, Ussingio).

tuere, praesertim quum documenta grammaticorum, in quibus haec quaestio nititur, nos prorsus deficiant. Itaque accentus universae Doridi usitatos, quorum regulas a grammaticis passim perscriptas collegit Ahrensius Dial. Dor. II p. 26, ad Lacones quoque, si non omnes, maximam tamen partem pertinere arbitratus sequar.

Spiritus sane exaratus est in titulis antiquissimis 13 B. 71 L. 1511 B. excepto tit. 15. Sed illi ipsi haud ampli sunt. Reliquiae autem scriptorum ad hanc rem decidendam non prosunt. Itaque potestate subtilius inquirendi depulsus eo confugiam, ut singula quae a vulgari ratione recedunt vocabula enumerem.

Verba contra morem ceterorum Graecorum spiritu privata sunt: *ἀνιοχίων* in tit. 71 L., *ἀγῆται* in Ar. Lys. v. 1314 (sic codd.), *ἰάλλειν* in Thuc. V, 77, *οὐδραία*, *οὐδραίνει*, *οὐφίδρωμα* cf. §. 7, *ἀψίαι* cf. §. 8, *ἐττία* cf. §. 17, 7, ap. Hes. s. v.; praeterea nomina propria ab *ἀγῆσθαι* derivata: *Ἆγις*, *Ἀγησίπολις*, *Ἀγήσανδρος*, *Ἀγησίλαος*, *Ἀγησίστρατος*, *Ἀγησιππίδας*, alia, et Iovis apud Spartanos cognomen *Ἀγήτωρ* cf. C. O. Mueller. Dor. II p. 96 n. 4. et 237. A Laconibus alienum est *ἀγίσδεο* in Alcm. fr. 99 et *ὄκκα* fr. 106; Aeolicae sunt formae, sicuti *σδ* pro *ζ* positum et *ὄκα* in fr. 24. 25 ostendit. Deinde psilosis pronominum pers. I. et II, quam Reisigius in Syntagm. critt. p. 14 defendere conatur, Laconibus non convenit, quamquam in Ar. Lys. leguntur *ἀμές* v. 1162, *ἀμέ* v. 1254. 1265, *ὔμμε* v. 1076. Primum enim Alcman easdem voces spiritu aspero instruxit teste Apollonio [1]), qui quum Aeoles spiritum abiecisse distincte dicat, Alcmanis (Doriensium) formis nihil eiusmodi addat, ex silentio eius

---

[1]) Cf. De pronomine p. 118 C, 119 A, 127 A.

constantia spiritus intelligitur. Deinde Aristophanis ipsius aliis locis spiritus retinetur, cf. ἇμες, ἁμῶν v. 168, ἁμίν v. 1081, atque omnem dubitationem diluit tenuis vocis ποτ' sequente ἁμέ in aspiratam mutata, ποθ' ἁμέ v. 95. Illud ποτ' ὔμμε v. 1076 autem Brunckii coniectura esse videtur; cod. Rav. ποθ' ὕμμε (corr. ὑμέ cf. §. 24) praebet. Denique non spernendum est testimonium, quod in Lexico de spiritu occurrit [1]), etsi Lacones non nominatim afferuntur. Attamen discrimine inter plebeiam personam muntii et magis excultam expolitamque mulierem facto Laconum nobiliores ἁμές etc. plebem ἀμές etc. dixisse forsitan putaveris; sed haec sententia vix probetur.

Spiritus asper pro leni in voce recentioris aetatis ἅνω (ἀνύω) cf. Hes. s. v. κασάνεις et §. 14 usurpatur; ὁπάρα apud Alcm. fr. 24 non satis certam lectionem cum Welckero reiicio.

Quaesiverit quispiam, utrum illis vocabulis, quae supra commemorata sunt, Iones et Attici rectius fecerint an Lacones. Ἀγῆσθαι et nomina inde derivata ad radicem ἀγ verbi ἄγω revocanda atque ob eam causam spiritum non genuinum esse apparet. Οὐδρεία, οὐδραίνει, οὐφίδρωμα, ut legem in Lexico de spiritu [2]) traditam, ου initiale nunquam spiritu augeri, nisi in voce οὗτος et quum declinatione aut crasi ortum sit, omittam, iure aspero spiritu carent, quia ὕδωρ et ὑπό, si respicimus ad originem spiritus, ex arbitrio Graecorum eum acceperunt, cf. Curtius, Grundzüge d. griech.

[1]) Cf. Valck. Ammonius p. 214: τὸ α ἐν τοῖς ὑποτακτικοῖς ἄρθροις δασύνεται, ἅ, αἷς · ὡσαύτως καὶ ἐν τοῖς Δωρικοῖς ἡμῶν, ἁμῶν cf. p. 211; et ibid. p. 236: τὸ υ πάσης λέξεως ἄρχον δασύνεται πλὴν τοῦ ὔμμες ἀντὶ τοῦ ὑμεῖς, Αἰολικῶς.

[2]) Cf. Valck. Ammon. p. 241.

Etymol. II p. 213 257. Ἰάλλω apud Atticos solos asperum habet; omnes ceteri Graeci lenem tenent. Unde illorum studio spirandi eum natum esse elucet. A vocabuli αψία praefixo α, cohaeret enim cum ψιάδδω, spiritum recte abesse, exemplis docet Curtius l. c. II p. 294. Ἑστία denique antiquitus digamma habet cf. Lat. „Vesta", quod Lacones diu servarunt. Psilosin igitur, quantum ex his verbis concludere licet, qualem Aeoles, Lacones non amaverunt. Sed antiquissimam originem secuti maximam constantiam in adhibendo spiritu, ubicunque σ aut j excidit, praestare, literae F loco, quam plerumque diu retinebant aut in β mutabant, asperum non substituisse videntur. In nonnullis vocibus sine causa spiritum receperunt, ut in ἁμές cf. Sanscr. „asmat" etc.

§. 4. De digammate.

I. Summum antiquitatis dialecti Laconicae argumentum est, quod sicuti Aeoles digamma in ceteris dialectis fere omnibus exstinctum solita tenacitate servarunt. Participes huius usus etiam Cretenses aliique Doriensium fuerunt, sed omnes superarunt Lacones. Testantur praeter grammaticos[1]) tituli et reliquiae scriptorum et glossae Hesychii. Alcman

[1]) Cf. Tryphonis παθ. λέξ. §. 11 in Mus. critt. Cantabrig. I p 34: προστίθεται δὲ καὶ τὸ δίγαμμα παρά τε Ἴωσι καὶ Δωριεῦσι καὶ Λάκωσι, οἷον ἄναξ Fάναξ, Ἑλένα Fελένα. — Schol. ad Dionys. Thr. in Bekkeri Anecd. Gr. II p. 778, 9: πάντα τὰ στοιχεῖα κατὰ πᾶσαν ἔστιν εὑρίσκεσθαι διάλεκτον· τὸ δὲ δίγαμμα οὔ, ἀλλὰ παρὰ μόνοις τοῖς Βοιωτοῖς καὶ τοῖς Λάκωσι καὶ τοῖς Αἰολεῦσιν. Ex his hausta videtur nota grammaticuli cuiusdam in Anecd. Ox. IV p. 323, 2: τὸ δὲ δίγαμμα οὐκ ἄρα ἐστὶ στοιχεῖον· ἄλλως τε πάντα τὰ στοιχεῖα κατὰ πᾶσαν ἔστιν εὑρέσθαι διάλεκτον· τοῦτο δὲ οὐχ εὑρίσκεται, εἰ μὴ παρὰ μόνοις τοῖς Βοιωτοῖς καὶ Αἰολεῦσι καὶ Λάκωσιν.

plurima exempla exhibet, a grammaticis[1]) ad Aeolicam dialectum relata; sed nulla causa est, cur iis assentiamur, quum Alcman Spartae scripserit, Spartani digamma retinuerint. Adhibetur autem ab eo ad hiatum vitandum aut syllabam producendam, cf. *Fέϱπετα* fr. 10, *Fεκατι* fr. 26, *Fιεϱόν* fr. 40, *Fέϑεν* fr. 48, *Fάνασσα* fr. 65, *Fάναξ* fr. 68 (ex emend. Maittair.; cod. *γ'ἄναξ*), *Fά* fr. 76, *δάFιον*[2]) fr. 77; addit Welckerus *Fάλλα* fr. 82, in quo erravisse videtur; nam *ἄλλος* nusquam digamma habet. Non vero dubitandum erat Ahrensio, qui satis diligenter digammatis usum apud Dorienses exploravit, quin *ἔFειξε* pronuntiari oporteret in fr. 80. Denique accedit *λέFα* i. e. *λεία* in fr. 23; ibi enim codices omnes *λέα* tradunt, quod Welckerus nullo iure in *λεία* mutavit, cf. *λευϱός* (*λεFϱός*), Lat. „levis.“ Saepius digamma ab eodem negligitur, cf. *ἄγε* fr. 14, *ἁδεᾶν* fr. 27, *Οἰνουντιάδην* fr. 15. Sequentes scriptores nullum huius literae vestigium reliquerunt, neque Aristophanes neque Thucydides, nisi in *τὸ ἔσϑος* apud Ar. Lys. v. 1096 id extricare vis; sed Aristophanes hiatum non anxie fugit, cf. Matthiaei Gramm. Gr. I p. 132. Quare aliis exemplis deficientibus digamma ei alienum fuisse puto. Magni vero facienda sunt, quae tituli antiqui praebent, literae F exempla duo: *ἐδήδοFε* et *ἐδήδοFας* in tit. 15 B., quod admodum verisimiliter editor ex sigillo E elicuit; forma est perfecti II, *ἔδηδα*, qualis apud Homerum occurrit, intruso o; deinde *Fίκατι* in tit. 1511 B. cf. §. 5, III.

II. Mox Lacones digammatis, si quidem ex Aristophane ceterisque scriptoribus iudicium facere licet, obliti, saepissime

---

[1]) Cf Apoll. Dysc. De pron. p. 136 B; ibi loquitur de pronom. posses. III. pers. sing.: Αἰολεῖς μετὰ τοῦ F κατὰ πᾶσαν πτῶσιν καὶ γένος· καὶ Ἀλκμὰν δὲ συνεχῶς αἰολίζων φησί· τὰ Fὰ κάδεα (cod. ἑά, unde elicuit Ahrensius veram lectionem Fά).

[2]) Cf. Priscian. I p. 21. 22 ed. Krehl.

digamma in *β* mutarunt, in quam literam sermone vulgari duratum mature abiisse suspicor, quamquam ex lexicographorum operibus solis fere hanc mutationem novimus. Quam facile fieri potuerit, cognatione literarum intelligitur. Grammatici[1]) autem vera ratione non perspecta *β* pleonasticum, ut ita dicam, a Laconibus addi docent. Exempla inveniuntur haec:

A. In initio vocabulorum:

Apud Hesychium:

βάγος pro *ἄγος* } Cf. glossa: βάγος· κλάσμα ἄρτου, μάζης· καὶ βασιλεὺς
βαγός pro *ἀγός* } καὶ στρατιώτης (corr. στρατηγός)· Λάκωνες;

confunduntur *βαγός* et *βάγος*, ab *ἄγω* alterum, alterum ab *ἄγνυμι* derivatum. Addendum est Hesychii *μουκηϱοβάκτας* cf. §. 7.

βάξον pro *ἄξον* cf. gl. *βάξον· κάταξον· Λάκωνες* (cod. *κατάξιον*; em. Kuester). Digamma vocis *ἄγω* apud Lacones solos invenitur. Cf. Boeckh. Corp. inscr. I p. 5.

βειέλοπες, a rad. *εἴλω* deriv., cf. gl. *βειέλοπες· ἱμάντες, οἷς ἀναδοῦσι Λακεδαιμόνιοι τοὺς νικηφόϱους*; cf. Eustath. p. 1453, 10; Zonar. p. 382; Suidas s. v.

Βείκατι pro *εἴκοσι* cf. gl. *βείκατι· εἴκοσι· Λάκωνες.*

βεικηλά, ab *εἰκαῖος* deriv., cf. gl. *βεικηλά· νωχελῆ· ἀχϱεῖα· Λάκωνες.*

---

[1]) Cf. Etym. Gud. p. 104, 12: γέγονε δὲ τό βαῦνος πλεονασμῷ τοῦ β κατὰ Λάκωνας · οὗτοι γὰρ τὸ ἰδεῖν βιδεῖν λέγουσι.

Etym. M. p. 308, 26: ἔβασον ἀντὶ τοῦ ἔασον, συγχώρησον · οὕτως Συρακούσιοι καὶ Λάκωνες · γέγονε δὲ πλεονασμῷ τοῦ β · τὸ γὰρ ἔασον ἔβασόν φασι καὶ τὸ ἔαται ἔβαται καὶ τὸ ἔα ἔβα.

Huc spectat grammaticus quoque in Anecd. Ox. II p. 289, 31: πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς βι συλλαβῆς ἀρχομένη διὰ τοῦ τ γράφεται, εἰ μὴ ἐστιν κατὰ γλῶσσαν Λακώνων . . . . . βείδιοι λέγονται οἱ ἄρχοντες παρὰ τοῖς Λακεδαιμονίοις · βειέλοπες λέγονται οἱ ἱμάντες (cod. μάνται).

βέλα pro *ἕλα* cf. gl. *βέλα· ἥλιος καὶ αὐγή ὑπὸ Λακώνων*; cf. *ἕλα· ἥλιος, αὐγή, καῦμα, βάδιζε, λέγε· Λάκωνες*. Inde Laconicam esse cognoscitur glossam sequentem.

βελήσθαι pro *ἑλᾶσθαι* cf. gl. *βελάσεται· ἡλιωθήσεται* (cod. *βελασσ.*); cf. *ἑλᾶται· ἡλιῶται.*

βέργον pro *ἔργον* et *βέργω* pro *ἔργω* cf. gl. *γαβεργόρ· ὁ μισθωτός· Λάκωνες* (cod *γαβεργός· ὀρουμισθωτός*; alii aliter corrigunt).

βήλημα pro *εἴλημα* cf. gl. *βήλημα· κώλυμα, φράγμα ἐν ποταμῷ· Λάκωνες* (cod. *βείλημα*; Salmasii emend. omnes receperunt).

βίσχυν pro *ἴσχυν* cf gl. *βίσχυν· ἴσχυν, σφόδρα ὀλίγον· Λάκωνες.* De hoc adverbio cf. Bekker. Anecd. Gr. III p. 1354 et Anecd. Ox. II p. 162, 19.

βιούζω pro *ἰύζω* cf. gl. *ἐκβιούζει. θρηνεῖ μετὰ κραυγῆς*, sine dubio Lacon. cf. §. 7; — *ἀβίυκτον· ἐφ' οὗ οὐκ ἐγένετο βοὴ ἀπολλυμένου* (cod. *ἀβίηκτον*; Voss. emend. ex ord. verb.).

βιώρ pro *ἴσως* cf. gl. *βιώρ· ἴσως, σχεδόν· Λάκωνες*; cf. §. 15, II.

βορθαγορίςκος pro *ὀρθαγορίσκος* cf. gl. *βορθαγορίσκεα· χοίρεια κρέα· καὶ μικροὶ χοῖροι βορθαγορίσκοι· Λάκωνες* (cod. *βορθάκεοι*; em. Salmas. coll. gl. *ὀρθαγορίσκος· χοιρίδιον μικρόν*). Adde Ath. IV p. 140 B, qui *ὀρθραγορίσκος* scribit et ab *ὄρθρον* secundum Persaeum derivat; incertum est, quae forma vera atque unde ducenda sit.

In Et. M. p. 195, 44:

βεστόν· τὸ ἱμάτιον ὑπὸ Λακώνων· οἱ δὲ βεττόν· Διογενιανός. Unde Hesychii glossa corrupta *βέσον· ἔθος καὶ ὁ τῶν ἐθῶν ἔμπειρος· Λάκωνες δὲ τὸν βεστικόν τὰ ἔσον . . .* sic corrigenda est: *βεστόν. ἔσθος, καὶ βεστικός· ὁ τῶν ἐσθῶν ἔμπειρος· Λάκωνες.*

In Et. Gud. p. 104 B:

βιδεῖν pro *ἰδεῖν*, nolim corrigere *ἰδῆν*, quia verbum recentioris temporis est.

In titulis:

Βίτυλος, nomen urbis, cf. *Βειτυλέων* in tit. 1323 B. (*εἰ* solitum sigillum est in tit. recent. longi *ι*; nam a Ptolemaeo nominatur *Βίτυλα* cf. Boeckh. l. c., C. O. Mueller. Dorer II p. 108. 439. ed. alt.). Digamma latere, ostendit altera forma *Οἴτυλος*.

βέτος pro *ἔτος* cf. *διαβέτης* in tit. 1242. 1273. 1432 B., magistratus Spartanorum nomen, sine dubio ab *ἔτος* repetendum, cf. Boeckh. ad C. I. I p. 611.

βίδεος pro *ἴδεος* cf. tit. 1241. 1255. 1268 B. aliique; rarius occurrit *βίδυος* cf. tit. 1254. 1270. 1271 B. 1 K.; a radice *ἰδ* derivatur, quae F habet, cf. „video.“ Adde *βιδιαῖος* ap. Paus. III, 11, 2. 12, 4, *βείδιοι* ap. Eustath. p. 1453, Suid. s. v., *ἴδυοι* ap. Hes. s. v. et Phot. s. v. *ἰδύους*.

βάνασσα pro *ἄνασσα* cf. *Εὐρυβάνασσα* in tit. 1372 B. 1 K.

B. In mediis vocibus:

Apud Hesychium:

ἀβήρ pro *ἀήρ* cf. gl. *ἀβήρ· οἴκημα στοὰς ἔχον· ταμεῖον· Λάκωνες.*

ἀβῶ ab *ἠώς* deriv. cf. gl. *ἀβῶ· πρωΐ· Λάκωνες* (cod. *ἀβώ* contra accent. regul.).

ἀβώρ pro *ἠώς* cf. gl. *ἀβώρ· ἠώς· Λάκωνες* (cod. *βοὴ ὡς*).

ἀβείδω pro *ἀείδω* cf. gl. *ἀπαβοίδωρ· ἐκμελῶς· Λάκωνες* (cod. *ἀπαβοῖδορ· ἐμμελῶς*, em. Guyetus); unde Laconicam esse colligitur glossam: *ἀβηδόνα· ἀηδόνα*, quum *ἀείδω* stirps sit vocis *ἀηδών*.

δαβελός pro *δαελός* cf. gl. *δαβελός· δαλός· Λάκωνες·* coll. *δαελός* ap. Hes. s. v. et in Et. M. p. 46, 35. Dicitur enim:

δάβω pro *δάω* cf. gl. *δαβῆ· καυθῆ* (cod. *δαβεῖ· κάθηται*;

corr. Ahrens. II p. 49.); *ἐκδαβῆ· ἐκκαυθῆ* (cod. *ἐκδάβη· ἐκαύθη*; corr. Ahrens.).

ἐβάω pro *ἐάω* cf. gl. *ἔβασον· ἔασον· Συρακούσιοι*; contra in Et. M. p. 308, 26: *ἔβασον ἀντὶ τοῦ ἔασον, συγχώρησον· οὕτως Συρακούσιοι καὶ Λάκωνες*, cf. Suid. s. v.

ἐξωβάδια pro *ἐξωάδια*, a Dorico *ὦς*, *ὤατος* derivandum, cf. gl. *ἐξωβάδια· ἐνώτια· Λάκωνες.*

μιργάβωρ pro *μισγήως* cf. gl. *μιργάβωρ· τὸ λυκόφως . .*; Albertius *Λάκωνες* adiecit. Ortum esse ex *μίσγω* et *ἠώς*, idem vidit.

Deinde huc pertinent:

ὠβά in tit. 1272. 1273 B., quod pro *ὠά* esse ostendit Curtius, Grundzüge d. gr. Etymol., II p. 161 et

ὠβάδδω in dicto Lacon. ap. Plut. Lyc. c. 6.

III. Hesychius permulta verba tradit, quorum digamma initiale in *γ* conversum esse videtur; de qua re inter viros doctos magna dissensio est: sunt, qui talem mutationem ridiculam putent, ut Bentleius, Heynius, Thierschius; cum iis faciens Ahrensius librarii errore literam *γ* (*Γ*) irrepsisse pro F atque hoc ubique restituendum esse censet; alii talem mutationem defendunt, ut Buttmannus Lexil. II p. 161, Giesius Dial. Aeol. p. 292 sqq., Curtius l. c. II p. 171. Quibus ego adstipulari cogor compluribus de causis. Primum enim mutatio haudquaquam difficilis est, quum qui pronuntiat F, sicuti qui literam v aut w, invitus ipse sonum *γ* similem praemittat (*γ*F, gv): deinde cognatae linguae mutationem literarum g et w in iisdem vocibus ratam ostendunt, cf. Lat. „vastare" Francogall „gâter," vernaculae „Wilhelm" Francogall. „Guillaume," vernaculae „Welfen" Italorum „Guelfi"; neque fallitur Jac. Grimm., si in libro „Geschichte d. deutschen Sprache" p. 207 dicit: Das welsche gw ist nicht zu übersehen, wenn man das griechische Digamma beurtheilen will; denique una ex illis glossis Hesychii, *γέντο·*

ἔλαβεν· ἀνέλαβεν i. e. *ἕλτο, ἕλετο*, testimoniis grammaticorum[1]) et usu scriptorum firmatur. Sed etiam, *γύαι· ὁδοί*, verum esse, ostendit inde derivatum *ἄγυια*, Lat. „via." Nunc quaeritur, Laconesne huius mutationis participes fuerint. Unius dialecti finibus eam vix coerceri, apparet, neque Laconibus hunc morem abiudico, ita tamen, ut eum in una alterave urbe, non apud omnes valuisse credam. Testantur illud *γέντο* pro *ἕλετο*, quod ex Alcmanis operibus laudat Eustathius[1]), et *Γήλωσιν*[2]) pro *Εἵλωσιν* in Epil. Coralisco, quod facili coniectura ex codd. lect. *παραγγελῶσιν* aut *παραγγέλλωσιν* aut *παραγγέλλω σοι* prodit; Bergkium *πάρα Γέλλωσιν* corrigentem duplicatum *λ* Laconicum non esse fugit. Tum aliis mutationibus Laconicae dialecto vindicantur glossae: *γέλουτρον· ἔλυτρον ἤγουν λέπυρον*, cf. §. 7; *γέτορ· ἔτος* (cod. *γέτορι*), cf. §. 15, I; *γῆμα· ἱμάτιον*, pro *εἶμα* cf. §. 11; fortasse *γίο· αὐτοῦ*, pro *ἕο*, quia Lacones *ε* ante *ο* et *ω* in *ι* transire saepius iubent; et *γίαι· ὀδυνῆσαι* (cod. *ὀδῦναι*) coll. gl. *γίσας· φθείρας* et *ἶψαι· φθεῖραι* et *ἴψας· ὀδυνήσας*, quia *σ* in mediis vocibus in spiritum mutare Lacones solent cf. §. 15, II.

Quod autem Curtius l. c. *μώλυγερ* ap. Hes. s v. pro *μώλυ*Fες collato Latinorum „mollis" i. e. „molvis" sic explicat, aliter se habere videtur; *μῶλ*Fες genuina forma attraxit *γ* (*μῶλ*F*γες*), quo facto F in *υ* transiit (*μώλυγες*); ceteri Graeci merum *υ* retinent (*μώλυες*).

IV. Digamma in *π* abiisse videtur in voce *ἀπελλά* cf. tit. 2 K. et Hes. gl. *ἀπελλαί· σηκοί, ἐκκλησίαι, ἀρχαιρεσίαι* et *ἀπελλάζειν· ἐκκλησιάζειν· Λάκωνες*; radix enim est F*ελ* (*εἴλω*). Num *ἀμπέσαι* ap. Hes. s. v. ex *ἀμ*F*έσαι* ortum sit, dubito.

---

[1]) Cf. Eustath. p. 756, 30 et alii; usurpat vocem Homerus, Alcman.

[2]) Perfecti forma videtur sic orta: Fέλω, FεFέλως, FέFλως, Fήλως; ε enim a Laconibus consona eiecta in η produci solet cf. §. 11.

V. Fortasse *φιδίτια* cf. Plut. Lyc. c. 12, quae forma antiquior, quam *φειδίτια* esse videtur, ab *ἔδω* petendum est, ut sit Fιδίτια, cf. Hes. gl. *ἀφέδιτος· ἡ ἡμέρα παρὰ Λάκωσιν, ἐν ᾗ θύουσιν;* aut, si praeferas, cum *ἴζω* (*ἰδ*) vocem cohaerere putaveris.

VI Interdum digamma in vocalem transiit: a in *υ*, cuius primus sonus quum fuerit idem ac Latinum u, vides, quam arcte coniunctum sit cum digammate, modo Latinorum v sigillo u et apud Graecos sigillo *ου* redditum esse memineris. Cf. *Λαυαγήτα* i. e. *Λα*F*αγήτα* in tit. 1466 B, nam *λάος* stirpem *λα*F habet cf. Curt. I p. 329; deinde *βουαγός* i e. *βο*F*αγός* in tit. 1241. 1245 B. cf. Hes. s. v. *βουαγόρ*, neglecto digammate evadit forma *βοαγός* cf. tit. 1350. 1370. 1426 B; tum *βοῦα* ap. Hes. s. v., abbreviatum ex *βούőα* pro *βουσόα*, q. v. in Et. M. p. 391, 16; radix *βο*F cf. § 15, II. Neque ab hoc loco alienum videtur *βίδυοι* (rad. F*ιδ*) comparata terminatione Sanscritica „vas", ut sit pro F*ιδ*F*εοι* vel F*ίδ*F*οι*.

b. in o, quod ab *υ* genuino haud multum differt, cf. *δοάν* i e. *δ*F*άν* pro *δήν*, ex Alcmane citatum a Schol. ad Dion. Thr. in Bekker. Anecd. Gr. II p. 949, 20, cf. Sanscr. „divam". *Οἴτυλος* i. e. F*ίτυλος* cf. Boeckh. ad tit. 1323. Etiam *ὤρανος* in Alcm. fr. 5 huc pertinet, ortum ex *ὀάρανος*, cuius radix est „var" Sanscr. cf. Curtius I p. 315.

De primis vocalibus servatis.

§. 5. De vocali *α*.

I. Vocalem *α*, quam Jones et Attici saepissime in *η* mutarunt, genuinam Lacones cum ceteris Doriensibus Aeolibus-

que (cf. Ahrens. II p. 126; I p. 84) servarunt, quam consuetudinem ne recentissimis quidem temporibus exstinctam aut coercitam esse, tituli docent. Itaque *α* invenitur:

1. In omnibus I declin. terminationibus; exemplorum tanta copia, ut enumerari vix possint, ut *ἁ ξανθά* in Alcm. fr. 27, *Σελάνας* fr. 47, *κιθαριστάν* fr. 65, *τᾷ μύλᾳ* fr. 18, *ὀλολυγά* in Ar. Lys. v. 240, *τᾶς ταγᾶς* v. 105, *πυγάν* v. 82, *Κόρα* tit. 1434 B., *τᾷ ἀναστροφᾷ* 1331, *εὐεργέταν* 1334. — *α* genuinum esse ostendunt pluralis et dualis formae atque Latinorum ratio. — Hic memoranda sunt adverbia terminationis *α*, quae dativi singularis esse videntur: *πᾷ* in Ar. Lys. v. 171. 980, *πά* v. 155, *οὔπα* v. 1157, *ὅπᾳ* v. 118. 1080. 1188 (Thuc. V, 77), *τᾷδε* v. 180, *ᾇ* v. 1318, *ᾇπερ* v. 84. 1000. 1003, alibi, *παντᾷ* v. 180. 1081. 1096, *ἀλλᾷ* Alcm. fr. 82. De accentu cf. Ahrens. II p. 34.

2. In nominibus III declin., quae in *τας* exeunt, si quidem licet credere voci *κοινότατορ* in decreto contra Timotheum; congruit usus ceterorum Doriensium, cf. Ahrens. II. p. 134. *α* a principio adesse, demonstrat Latinorum terminatio „tas". Deinde in terminatione *αξ* (*ηξ*)[1]) cf. *βάραξ* in Epil. Cor. et ap. Hes. s. v.

3. In verborum augmentis. Cf. *ἁρμόξατο* in Alcm. fr. 30, *ξυναλίαξε* in Ar. Lys. v. 93, *ἆρχε* v. 998, *ἆγεν* v. 1255. Alcman etiam Jonicam formam usurpat cf. *ἐπῆγε* fr. 22 etc.; contra *ἥνσει* in Ar. Lys. v. 1257 corruptum ab Aristophane profectum esse non potest, quum altero etiam vitio laboret cf. §. 20, 5.

4. In coniugatione verborum, quorum stirps in *α* exit, quo pertinent verba in *αω* omnia et nonnulla in *μι* desinentia; cf. *πωτάομαι* (*πωτήσομαι*) in Ar. Lys. v. 1013, *ὅρμαόν*

---

[1]) Omnibus Doriensibus adscribitur in Anecd. Ox. II p. 40, 17.

(ὅρμησον) v. 1247 cf. §. 15, II, ἔβα v. 106, ἄντασι (ἀνάστηθι) κάβασι (κατάβηθι) ap. Hes. s. v. cf. §. 14, τεθναξοῦμαι in Plut. A. L. (Brasidae) p. 268 n. 3. τεθνάκαντι in Plut. Lyc. c. 20, φᾶ (ἔφη) in dicto Laconico ap. Jacobs. Anthol. II p. 102, νικάσαντα in tit. 1418. 1419. 1422 B. cf. tit. 71 L. —; etiam quorum radix α habet cf. ἐπιλελάθαμες, ἐπιλελάσθαι in Plut. A. L. p. 286 n. 1, ἐκφᾶναι (ἐκφῆναι) p. 262 n. 77, θάγοντας in Ar. Lys. v. 1256.

5. In vocabalis, quae a vocibus I decl. aut verbis in αω exeuntibus derivata sunt vel compositione vel terminatione simplici adiuncta, ut μνᾶστις in Alcm. fr. 121, δάFιος fr. 77, φυσατήριον in Ar. Lys. v. 1242, Μναμόνα v. 1248, κᾶλα v. 1253 (rad. κάω), φᾶμα in Plut. A. L. p. 298 n 2, ἀγγελιαφόρος ap. Plut. De malig. Her. c. 32, τεχνάεις in epigr. Lac. ap. Jac Anthol. II p. 39, Αἰγλάηρ ap. Hes. s. v. cf. §. 15, I, γαβεργός, ibid, κραάρα (i. e. κρησέρα cf. § 15, II) ibid., στάλαν in tit. 1334 B. 30 V., Ὀνασικλείδας in tit. 1346 B., Μνάσων in tit. 1242. 1255 B., ἱερομνάμων in tit. 1242 B. — Tum in vocibus, quae a verbis, in quorum radice α latet, repetendae sunt, ut δᾶμος in Alcm. fr. 23 et tit. 1325 B. 2 K. quaeque ad hoc vocabulum revocanda sunt nomina propria: Ἀρισσιόδαμος in tit. 13 B, Δαμοκλῆς in tit. 1237. 1238 B, Εὔδαμος in tit. 1239. 1241 B. cf. 1 K., Δαμονίκης in tit. 1246 B., Κλεόδαμος in tit. 1252 B, Δαμοκρατίδας, Δαμοκράτης, Δαμόχαρις, Δαμόστρατος aliaque in tit. 1 K. (radix δαμ verbi δαμάω), κᾶδος in Alcm. fr. 76 (rad. καδ verbi κήδομαι cf. κέκαδον, κεκαδήσομαι), ὕσπλαγες in Ar. Lys. v. 1000 (rad. πλαγ verbi πλήσσω), ἁγῆσθαι in Ar. Lys. v. 1314 (rad. ἄγω) cf. Ἀγησίνικος in tit. 1262 B., νᾶσος cf. Πελοπόννασος in Thuc. V, 77 (rad. νάω, non, ut vult Lobeckius, νέω), ἀλαθής in Plut. A. L. p. 257 n. 41 (rad. λαθ verbi λήθω) cf. ἀπαλασίξαι ap. Hes. s. v. vide §.

13, παγουλίρ (πηγυλίς) ap. Hes. s. v. (rad. παγ verbi πήγνυμι) cf. §. 15, II, ἀαδέρ (ἀηδές) ibid. (rad. ἁδ verbi ἁνδάνω) cf. ἁδύς in Ar. Lys. v. 206, Epil. Cor., Plut. Ages. c. 11, ἀαδία ap. Hes. s. v.[1]), πλατίος cf. §. 12 (rad. πελάζω). Praecipue animadvertenda sunt nomina, quorum altera pars a verbo ἄγω redundans vulgo ab η incipit, cf. κυναγός in Plut. Lys. c. 18 et in tit. 1325 B., βουαγός in tit. 1241. 1245 B.

Denique hoc loco inserenda sunt nomina in α-να, vulgo ηνη, exeuntia, quae suffixo να (νη) partim ad substantiva I decl. partim ad verba terminationis αω revocanda sunt; nonnunquam ανα totum suffixum respondet Sanscr. „ana“, de quo vide Bopp. Vergl. Gramm. III p. 396, quamquam etymologia exemplorum, quae inveniuntur, non semper erui potest. Sunt autem haec: Σελάνα in Alcm. fr. 47 (rad. ἕλα, cuius vocis σ in spiritum transisse, elucet ex σέλας), εἰράνα in Ar. Lys. v. 118. 144. 169. 1081 et in Plut. Lys. c. 14 (fortasse deriv. ab εἴρα) cf. Εἰρανίων in tit. 1240 B., Ἀσάνα in Ar. Lys. v. 1300, Jonum Ἀθήνη, unde ducendum sit, dubitatur, fortasse, ut etymologias iam tentatas omittam, ad radicem θάω spectat, ut virginis notio efferatur cf. τιθήνη; cum hoc verbo cohaerent Ἀσάναι in Ar. Lys. v. 980, Ἀσαναῖος v. 170 aliisque; Πελλάνα in Ar. Lys. v. 996, Paus. III, 21, 2, et Ἀνθάνα ap. Arist. Byz. s. v., oppida Laconica, Μεσσάνα in dicto Lacon. ap. Jacobs. II p. 39, cf. Μεσσανίοι in tit. 1338 B.; unde haec nomina repetam, incertus sum, etiamsi radices afferri possunt Μέσσα, πέλλα, ἄνθα. Idem välet in voce ἀμάνα ap. Hes. s. v. pro ἀπήνη cf. §. 16, II, 2.

6. In verborum terminationibus I pers. indic. praet. et optat. pass. ac med. cf. ὠργιζόμαν in Plut. Reg. et imp.

---

[1]) ἄαδα · ἔνδεια · Λάκωνες · οὕτως Ἀριστοφάνης ἐν γλώσσαις. Non assensus Valcken. coniecturae ἄδδα corrigo. ut restituatur ordo verborum, ἀαδία i. e. ἀηδία, nam ἀηδεῖν explicat Hesychius ἀπορεῖν, ἀσιτεῖν.

(Charilli) p. 228 n. 2, *εἰπόμαν* in Plut. De Her. mal. c. 32; difficile est, genuinam vocalem *α* esse demonstrare. Comparo Latin. „bam“, „bar“.

7. In adverbiis, quae in *δαν* (*δην*) exeunt; apparet enim, esse illam accusativi I decl. terminationem; Curtius II p. 215 confert Sanscr. suffixum „ja“; cf. *ἄδαν* in Alcm. fr. 24.

8. Denique in his singulis vocibus, quas nullo alio communi vinculo complecti possum, nisi quod *α* genuinum retinent:

ἀγάθεος (*ἠγάθεος*) in Plut. Lys. c. 18, comp. ex *ἄγαν* et *θεός*.

ἁλικία (*ἡλικία*) in Boekh. tit. 1347, *ἁ* = ja cf. Benfey. I p. 226. (Inde *ἆλιξ*, *ἁλικιώτας*, *παλίκος* aliaque colliguntur).

ἁμέρα et *ἆμαρ* (*ἡμέρα*, *ἦμαρ*) cf. *σάμερον* in Eupol. Hel., ortum ex *τὸ ἆμαρ*.

ἁμές, *ἁμῶν* etc. (*ἡμεῖς*, *ἡμῶν* etc.) cf. §. 24, 3.

ἀνία vel *ἄνιον* (*ἡνία* vel *ἥνιον*) cf. *ἀνιοχίων* in Leak. tit. 71; rad. Sanscr. „jam“ cf. Curtius II p. 122.

γᾶρυς (*γῆρυς*), ut docet *μελίγαρυς* in Alcm. fr. 4, cf. Lat. garrio, garrulus.

γυνά (*γυνή*) in epigr. Lac. ap. Jacobs. Anthol. I p. 257. cf. vocat. *γύναι*.

ζατεύω (*ζητεύω*) in Alcm. fr. 23. Radix Sanscr. „ja“, „dja“ cf. Curtius II p. 196.

κάρ (*κήρ*) in Alcm. fr. 81 (ibi enim *κᾶρα* lego cum Bastio ad Greg. Cor. p. 900, cod. *κάραν*). Radix *καρ* cf. Curtius I p. 117.

κάρυξ (*κήρυξ*) in Ar. Lys. v. 983, Keilii tit. 1, cf. Lat. „caduceus.“

μάκων (*μήκων*) cf. *μακωνίς* in Alcm. fr. 17. Radix fortasse *μακ*, unde *μακρός*, propter caules longos huius floris cf. Curtius I p. 131. Comparatio linguarum Germanicarum a praebet cf. id. l. c.

μᾶλον (*μῆλον*) in Ar. Lys. v. 155 et *κοδύμαλον* in Alcm. fr. 85 cf. Lat. „malum.“

μάν (*μήν*) in Ar. Lys. v. 144. 170. 183. 206. Ambigue derivatur a radice mah cf. Benfey. I p. 91.

μάτηρ (*μήτηρ*) in Plut. Lacaen. ap. (Damatriae epigr.) p. 298. 299 n. 10, in dicto Lac. ap. Jacobs. Anthol. I p. 257, II p. 102. 297. 427, cf. Lat. „mater.“ Radix „ma“ cf. Curtius I p. 298. Huc pertinent composita *Δαμάτηρ* in tit. 1434. 1464 B. et in decr. c. Tim., *Δαμάτριος* in tit. 1338. 1295 et alibi.

παδάω (*πηδάω*) cf. Ar. Lys. v. 1317; sine dubio radix *παδ* est, quae latet in *ὀ-παδ-ός*.

9. Nonnullarum vocum derivatio in obscuro versatur, quales occurrunt:

ἁνίκα in dicto Lac. ap. Jacobs. Anthol. II p. 102. 297; nisi fallor, Boppius a dativo *ᾷ* repetit, quod mihi non persuadeo.

ἄρκαλος (*ἄρκηλος*) in tit. 15 cf. Aelian. H. A. VII, 17.

βάρακες (*βήρηκες*) in Epil. Cor. et ap. Hes. s. v.

Δαμάτηρ (*Δημήτηρ*) in tit. 1434. 1464 B; prior pars incerta videtur; *δα* pro *γᾶ* non accipiendum est, nam tum in nulla dialecto unquam *Γαμάτηρ* vel *Γημήτηρ* exstitisse, admodum mirum est, cf. §. 16, IV.

Ζάν (*Ζήν*) ex Alcmane citat Lobeckius Parall. p. 71. *Ζανός* in tit. 1313. 1314 B.

κακίω (*κηκίω*) ap. Hes. s. v. cf. nota Schmidtii ad h. l.

λᾶδος (*λῆδος*) in Alcm. fr. 118 cf. etym. incerta Benfeyi II p. 111. cf. Hes. s. v. *Λαῖδος*.

Μαλίοι (*Μήλιοι*) in tit. 1511 B.

παῶται (*πηῶται* cf. *πηός*) ap. Hes. s. v.

σᾶμα (*σῆμα*) cf. Hes. s. v. *σάμεα· τὰ ἐν ταῖς ὤαις τῶν ἱματίων παράσημα· Λάκωνες*; falsa sine dubio comparatio Benfeyi II p. 144.

σάσαμος (*σήσαμος*) in Alcm. fr. 17 et *σάάμος* in tit. 1464 B.

10. A regula constituta saepius recedunt recentiores et recentissimi tituli, in quibus reperies *Νικηφόρος*, *Ὀνησιφόρος*, *Δημόσιος*, *Μητρόδωρος*, *εἰληφώς*, nomina in *της* exeuntia permulta; neque assentiri possum Boeckhio, qui in tit. 1334. 1335 *ἄγκτησιν*, quod legitur, in *ἔγκτασιν* corrigendum censet, quum potius *ἔγκτησιν* legendum esse verisimilius sit ex more illius temporis et lectione incorrupta *ἔγκτησιν* tit. 30 V. aequalis firmetur. Ceterum de hac re cf. §. 2. Eidem aetati iam infectae quominus tribuam Hesychii *λῆις* (rad. *λάω*) et Plutarchi *πολυμηχανία* cf. Ap. Lac. p. 288 n. 25 (rad. *μαχ* cf. Curtius I p. 298), nihil impedit.

II. *α* genuinum Lacones, interdum consentientibus ceteris Doriensibus et Aeolibus, servant, ubi Jones et Attici *ε* usurpant:

1. In terminatione adverbiorum temporis, *κα* pro *τε*; respondet Sanscr. *κα* cf. Curtius II p. 73; exempla inveniuntur haec: *ὅκα* in Alcm. fr. 24. 25.[1]), Ar. Lys. v. 1251, *ποκά* in Alcm. fr. 23. 82, Ar. Lys. v. 105, Epigr. Lac. ap. Poll. IV §. 102, unde colligi possunt *πόκα*, *ὁπόκα*, *τόκα*, *ἄλλοκα*.

2. In suffixo *σας* vel *σα* pro *θεν*; antiquissimum est enim *θας*, ut ostendit Sanscr. „dhas", Lat. „tus" cf. Bopp. Vergl. Gr. II p. 244. Eadem mutatio observatur inter *μεν*, Lacon. *μες*, Sanscr. „mas", Lat. „mus". Hesychius complures eiusmodi glossas exhibet:

ἔξεσας· ἔξωθεν Λάκωνες; cave corrigas cum Koenio et Ahrensio *ἔξεσα* cf. §. 12.

---

1) Errare videtur grammaticus in Aned. Ox. I. p. 328, 21, qui *ὅκα* Laconibus tribuit.

ἔντεσα· ἔσωθεν. Laconicum esse arguitur mutatione literae *ϑ* cf. §. 14; et eandem ob causam huc pertinent:

ὡδόσα· ἐκ τοῦ ὧδε μέρους.

συνόσα· ὁμοῦ, i. e. *συνόθεν.*

Accedit *πρόσθα*, quod ex Alcmane citat Apoll. De adv. in Bekk. An. Gr. II p. 563, 27.

3. In singulis quibusdam vocibus:

ἱαρός (*ἱερός*), Sanscr. „isaras" (ishiras) cf. Curtius I p. 369; invenitur *ἱαρός* et *ἱαρεύς* in tit. 13 B., 34 R. cf. Hes. s. v. *ἱαρεῖον* et *ἱάρωμα*; *ἱερεῖον* in Ar. Lys. v. 84 cum Ahrensio corrigendum esse censeo; recentissimis temporibus *ἱερός* valet cf. *ἱερός* in tit. 1334 B. et *ἱερονίκας* in tit. 1418 B.

ἆς (*ἕως*) in Ar. Lys. v. 173 cf. Hes. s. v., contractum ex *ἅως* cf. *τάως* ap. Hes. s. v., vel potius ex *ἅFος*, *ἅFς*, ut ostendit Sanscr. „javat," cf. Curtius I p. 364, Bopp. II p. 233.

γά (*γέ*) in Ar. Lys. v. 82. 105. 170. 988. 1174, contra *γέ* in v. 144. 1096. 1162. 1243, in quibus poetam euphonia ab usu solitae formae abductum esse putarem, nisi in v. 170 durissimam vocalium coniunctionem tulisset; itaque *γά* ubique restituam. Affixum pronomini *ἐγών* occurrit in Alcm. fr. 65, Ar. Lys. v. 986. 990; Sanscr. „gha" cf. Benfey. I p. 187.

III. *α* genuinum in quibusdam vocabulis retinetur, quae apud ceteros Graecos o praebent: eius rei certissimum testimonium sunt numeralia ab *ἕκατον* derivata; Lacones enim ut omnes Dorienses terminatione *κατιοι* utuntur, cf. *ὀκτακατίοι* in tit. 1511 B.; deinde *Fίκατι* (*εἴκοσι*) l. c. cf. Hes. glossa: *βείκατι· εἴκοσι· Λάκωνες*; Sanscr. „vinçati" cf. Benfey. Wurzellexikon, II p. 214.

IV. Lacones pro vulgari *ω* retinent *α* in vocabulis: *πολύφανος* (*πολύφωνος*) cf. Alcm. fr. 25; radix enim sine dubio *φα* (*φημί*); *πρᾶτος* (*πρῶτος*), quod simplex quidem non

reperies; attamen Lacones sic locutos esse, ostendunt composita, ut *Πρατόνικος* in tit. 1239. 1246. 1250. 1276. 1283 B., 32. 35 V., 1 K., *Πρατόλαος* vel *Πρατόλας* in tit. 1341. 1342. 1343 B., 1 K.; ita in nominibus propriis haesit etiam recenti aetate, dum simplex *πρῶτος* occurrit. cf. tit. 1341, Plut. Ap. Lac. p. 286 n. 1; sed Aristophanis aetati non convenire videtur; ob eam causam et quia versus corruptus inconcinnus esset, si *πρῶτα* legeretur, *πρώ* in v. 1174 quamvis male firmatum tueor; quod ad formam *πρᾶτος* attinet, regredi necesse est ad Sanscr. „pra," cf. Curtius I p. 249; denique *ὀπάρα* cf. Alcm. fr. 24 (contra *ὀπώρα* fr. 28); si *ὀπώρα* ex *ὀπός* et *ὥρα* compositum est atque *ὥρα* recte Zendico „jâre," Germanico „jâr," Bohemico „jaro" comparatur a Curtio I p. 322, huc referendum est; quod tamen confirmare vix ausim.

§. 6. De vocali *ι*.

ι genuinum Lacones retinent:

1. Ante *ο* et *ω* in verbis, quae *εω* terminari solent [1]), et in futuris contractis. Exempla complura iam Ahrens. II p. 207 congessit. Haec sunt:
ἀνιοχίων (ter) in tit. 71 L. cf. Keil. Anall. Epigr. p. 86 sqq.; *ἐπαινίω* in Ar. Lys. v. 198; *μογίομες* ib v. 1002, quod Brunckius contra auctoritatem codicum in *μογιῶμες* mutavit; *λυχνοφορίοντες* ib v. 1003 idem passum est Brunckii manu, qui *λυχνοφοριῶντες* corrigit; *ἀδικίομες* ib. v. 1148 (editi libri exhibent *ἀδικοῦμες*, cod. Rav. *ἀδικιοῦμες*, unde veram lectionem elicuit Dindorfius); *ὑμνίωμες* ib. v. 1305 (etiam hic libri editi *ὑμνιῶμες* habent); *ἐγκονιῶσαι* ib. v. 1311 Brunckius coniicit pro codd. *ἀγκονεύουσαι*, quia *ἀγκονεύω* nullum verbum est et participii femininum non in *ουσα*, sed *ωσα* cadere solet apud Lacones; attamen ne *ἐγκονιῶσαι* (potius *ἐγκονιώσαι* ex accentus ratione Dorica) quidem speciem veri habet, quum Aristophanes talium formarum literam *σ* secundum consuetudinem Laconum in spiritum asperum mutet cf. v. 1297. 1299. 1313; neque ego intelligere possum, quomodo *ἀγκονεύουσα* in codd. omnes irrepserit; glossa enim vix esse potest, si quidem ceteras eiusmodi formas apud Aristophanem incorruptas tradi recordor; quibus de causis *ἐγκονεύουσαι* (nam *ἀγκονεύουσαι*, nullum verbum, mendo ortum videtur), quae forma huius vocis sola ab Homero frequentata est, Laconi temporis momento patriae linguae propter nimiam illius poetae memoriam et verecundiam oblito tribuam; — *ἀπορίομες* in Hippocratis epistola ap. Xenoph. Hellen. I, 23 (sic codd., vulg. lectio *ἀποριῶμες* Valckenario debetur). Laconicae sine dubio sunt glossae Hesychii: *μογίοντι· μογοῦσι· Δωριεῖς* (cod. *μογείοντι*, em. Ahrens.); *πονίωμεν· πονῶμεν* (cod. *πονιῶμεν*). Deinde futuri exemplum: *ὀμίωμαι* in Ar. Lys. v. 183 et Hes. glossa: *ἑψίονται· ἀκολουθήσουσι*.

In hac re explicanda recentiores viri docti in diversas partes abierunt. Primus Koenius ad Greg. Cor. p. 229 et qui eum secuti sunt Valckenarius et Lobeckius ita interpretantur, ut verba apud reliquos Graecos in *εω* exeuntia apud Lacones in *ιαω* cecidisse arbitrentur; itaque accentu circumflexo instruere *ἀνιοχιῶν*, *ἐπαινιῶ*, *ὑμνιῶμες*, et, quae verba eorum sententiae repugnant, corrigere coacti sunt: *μογιῶμες* in Ar. Lys. v. 1002, *λυχνοφοριῶντες* ib v. 1003, *ἀδικιῶμες*

[1]) Cf. Anecd. Ox. II p. 227, 14: οἱ Λάκωνες κινέω λέγουσιν καὶ διὰ τοῦ ι.

ib. v. 1148, ἀποϱιῶμες in Hippocr. ep. ap. Xen. Hell. I, 1, 23. Tum Koenius ad iudicium suum firmandum affert Hesych. glossas: πονιῶμεν· πονᾶμεν et παμωχιῶν· κεκτημένος, quarum haec ex Italiotarum, illa ex Laconum dialecto prompta videtur. — Sed Koenii sententiam plane falsam esse, iam Ahrensius demonstravit compluribus causis: 1. quod nunquam verborum in εω desinentium infinitivus terminationem ιην ostenderet cf. κοπϱαγωγῆν in Ar. Lys. v. 1174; 2. quod saepe in titulis et libris ιο legeretur, ubi illa ratio ιω postularet cf. supra: ὑμνίομες, λοχνοφοϱίοντες, ἀποϱίομες; 3. quod eadem mutatio in futuro contracto spectaretur; 4. quod, si quis Koenium sequeretur, ὑμνιᾶμες, ἀδικιᾶμες, ἀποϱιᾶμες, non ὑμνιῶμες etc. scribendum esset. Haec extrema autem causa refellitur usu Aristophanis aliorumque, qui αο et αω non iam in α, sed contra antiquiorem consuetudinem Laconum in ω contrahere solent cf. §. 20, 3. Sed in universum fere omnes formae, quae verborum in εω vulgo cadentium Laconicis fontibus exhibentur, Koenio adversantur, velut ἀγῆται in Ar. Lys. v. 1314, πόη (i. e. ποίεε) ibid. v. 1318, κάκκη (i. e. κατάκεε) ap. Hes. s. v. aliaque; sonare enim oportuit eas: ἀγιῆται, ποΐη, κακκίη etc. Denique Hesychii πονιῶμεν haud magni aestimandum est, quia in eius libro saepissime contra accentum verum peccatum est; lege πονίωμεν. Ahrensius vero, apparere, ait, ιω pro εω et ιο pro εο contractione orta esse et quasi unam diphthongum efficere, ut Theodiscae linguae „iu“, ex analogia Attici εω, quod ipsum una syllaba complecteretur. At miror, virum doctum exempla Aristoph. Lys. non accuratius perlustrasse; quum enim ἐπαινίω in v. 198 monometrum iambicum, λυχνοφοϱίοντες in v. 1003 idem quinque prioribus syllabis (—υυυ—) monometrum efficiat, ιω et ιο nulla orta esse contractione, sed disiuncta pronuncianda elucet. Ne ex ε quidem vocalem ι ortam intelligere

licet, quamquam Boeckhius de simili more Cretensium disputans sequente vocali ε in ι mutari dicit, in qua regula constituenda simul nimius fuisse videtur; ante ο et ω, docere debuit. Hoc ι igitur genuinum est, quod lingua Sanscritica et Latina demonstrat. Tali comparatione Graecorum futuri antiquissimam terminationem σ-ιω fuisse cognoscitur; Sanscritica enim est „s-jami“ cf. Bopp. Vergl. Gr. II p. 541. 544. Verbis in εω (Lacon. ιω) cadentibus respondent verba Sanscritica terminationis „jami et ajami“, Latina terminationis „io“ cf. Bopp. l. c. p. 212, III p. 102; Curtius Grundzüge d. gr. Etymol. II p. 181. j semivocalis facillime in ι transiit, a ceteris Graecis in ε corruptum est. Notandum vero est, εω, quandocunque respondet terminationi „ajami“, eodem fere iure uti, quo ιω; redundare enim utramque formam ex ειω necesse est, quam ipsam Homerus exemplis firmat; Lacones ε, ceteri Graeci ι abiecerunt.

Restat, ut futuri forma ὀμίωμαι explicetur; etenim ὀμίομαι pro ὀμέομαι, ὀμοῦμαι exspectaveris. Inconstantia quaedam subesse videri potest, quum Lacones, licet genuinum ι pro ε servaverint, tamen cum ceteris ο producerent, quasi ex εο contraheretur. Sed si consideramus ἑψίονται pro ἑψέονται, ἑψοῦνται (universae Doridis haec est forma), ubi ο primum remanet, illud ω pro ο in verbis liquidis tantum abiecta consona σ ortum esse persuasum habeo.

Adnot.: Verba bisyllaba ε retinere, quia radicitus adhaeret, neminem offendet, cf. δεόμεσθα in Ar. Lys. v. 1164.

2. Etiam adiectiva, quae vulgo in εος exeuntia principia rerum (Stoff) exprimunt, apud Lacones ιος tuentur, quum prima terminatio sit ειος, quae comparanda est cum Sanscr. „eias“ cf. Curtius II p. 181. Unum exstat exemplum, πυάνιος in Alcm. fr. 28 pro πυάνεος, quod ipsum coniiciendum

est. Itaque Boeckhius in errorem incidit *διασαᾶμων* in tit. 1464 pro *διασησάμεον* accipiens; seiungendum potius est *διὰ σαᾶμων*, quamvis mire dictum sit *ἄρτος διὰ σαᾶμων*.

3. In vocibus F*ίκατι*, *ϝῖκος*, *χῖμα* cf. §. 18, I, 2.

§. 7. De vocali *υ*.

1. Hesychius admodum magnam copiam vocabulorum, in quibus *υ* longum et breve in *ου* mutatum est, nomine Laconum addito tradit, contra neque apud Alcmanem neque apud Aristophanem neque in titulis talis scripturae ullum vestigium reperitur, sed *υ* semper servatur, ut in *μυσίδδω* cf. Ar. Lys. v. 94. 981. 1076. In Hipp. ep. ap. Xenoph. I, 1, 23 sola legitur *ἀπεσσούα*, quod codd. et Eustath. auctoritate satis munitur. Itaque tempus fuit, quo Lacones *ου* pro *υ* scribere inciperent, ut Boeoti, cf. Ahrens. I p. 180. 196. Constat enim iam diu, sonum antiquissimum literae *υ* fuisse pinguiorem, qui respondet Latin. u, sed a Graecis in leniorem illum esse conversum; cuius soni mutati non participes Lacones antiquitatis amore et tenacitate ductos *υ* semper u pronunciasse, illae glosse satis testantur, sed non ita, ut etiam hunc sonum sigillo *ου* exararent, quod ceteris Graecis diphthongus erat. Recentiore autem aetate ceterorum usum circumspicientes, illum sonum per *ου*, quamquam semper longum, scribentium, signum quoque sono adaptarunt, eiusque rei initium in tempora Alexandrinorum quos dicunt incidisse, in tertium fere saeculum, quem etiam Boeotis finem eiusdem moris posuit Ahrensius l. c., atque a doctis Alexandrinis ipsis, non a Laconibus profectum esse, suspicari licet; quam opinionem ea re firmari puto, quod scriptores Laconici et tituli nihil eiusmodi exhibent, Hesychius autem glossas suas

ex operibus Alexandrinorum hausit. Unum exemplum Xenophontis ita explicandum videtur, ut popularibus suis, quorum in manus eius scripta ventura erant, pronunciationem plurimis ignotam indicare voluerit; Lacones enim ipsos *υ* illo tempore scripsisse, ex Aristophane cognoscitur; en argumentum certissimum habes, eos *υ* semper *ου* pronunciasse. Tenenda igitur haec sunt: 1. Lacones antiquum sonum literae *υ*, qui est u, servarunt. 2. Inde a III saeculo ille sonus etiam scriptura *ου* a vulgari discernitur fortasse auctoribus Alexandrinis. 3. Hoc *ου* non est diphthongus, ut apud ceteros Graecos, sed simplex vocalis modo longa modo brevis.

Jam enumerandae sunt Hesychii glossae tali mutatione insignitae, etiam eae, quae nomen Laconum subscriptum non habent; nam has quoque cum Ahrensio, qui eandem operam colligendi, sed nonnullis vocabulis supplendam, suscepit, Laconicas esse existimo, quia glossam eiusmodi nullam Boeotis nominatim tribuit, contra Laconibus multas, et quia haud paucae certis notis, ut *σ* in *ϱ*, *ϑ* in *σ* mutatis Laconicae arguuntur:

αἰκχούνα· αἰσχύνη· Λάκωνες, cf. §. 17, 9.

ἀμουχϱά· καθαϱεύουσα· Λάκωνες (cod. *ἀμούχα*; em. coll. Suida I p. 295).

ἀτταφούλιστοϱ· σταφυλῖνος· Λάκωνες (cod. *ἀπαφουλίστωϱ*, em. Ahrens.), cf. Koenius ad Greg. Cor. p. 254.

βούθουτον· ὅ τινες ἀμέμαϱον . . . Λάκωνες, i. e. *βούθυτον*.

γωϱοῦται· σαϱμοί· Λάκωνες, fortasse metaplastice pro *γωϱυτός* cf. Hes. s. v.

διφοῦϱα· γέφυϱα· Λάκωνες.

ἔγχουτον· στεάτιον· Λάκωνες (cod. *ἐγχοῦν· τὸν*; corr. ex ord. verb.), pro *ἔγχυτον*

ζούγωνεϱ· βόες ἐϱγάται· Λάκωνες, cf. *ζύγωνεϱ·*

κάϱουα· κάϱυα· Λάκωνες (cod. *καϱῶα*; em. Musurus).

κουανᾶ· μέλανα· Λάκωνες (coni. Musuri, cod. κούαμα· μέλαν), pro κυανᾶ.

οὐδραίνει· παρακαθαίρει· Λάκωνες, pro ὑδραίνει.

πουρδαῖον· μαγειρεῖον· Λάκωνες (sic recte Nauckius pro cod. πουρδαίν·μαγείριον coll. πυροδαίσιον ap. Hes. s. v.).

σεκουάνη ad σικύα revoc. cf. §. 8, III.

τούνη· σύ· Λάκωνες, pro τύνη.

Sine nomine traduntur, sed mutationibus consonarum aut vocalium Laconicae agnoscuntur glossae:

μούσαξ· ὁ ὑπὸ τοῦ βοᾶν τρεφόμενος, pro μύθαξ cf. §. 14.

μουσίδδει· λαλεῖ, ὁμιλεῖ, pro μυθίζει cf. §. 14.

μούρκορ· μυκός· οἱ αὐτοί (cod. μυχός; probanda haec coniectura Schmidtii cf. μυκός et μύρκος, utrumque ab Hesychio per ἄφωνος explicatum) cf. §. 15, II.

παγουλίρ· μάρμαρος ἢ μικκύς (cod. παγούαιρ, em. Schmidt.), pro πηγυλίς cf. §. 5. 15.

παρσουλακίρ· τὸν τρίβωνα, ὅταν γένηται ὡς θύλακος, pro figendo παραθυλακίς.

πέργουν· πρέσβυν· οἱ αὐτοί (cod. πρέσβεις, em. Ahrens.), pro σπέργυν cf. §. 18, II.

σεκούα pro σικύα cf. §. 8, III.

φουάδδει· σωμασκεῖ, pro φυάζει, deriv. a φυή, cf. §. 17, 2.

φούαξιρ· ἡ ἐπὶ τῆς χώρας σωμασκία τῶν μελλόντων μαστιγοῦσθαι, fictum ex antecedenti vocabulo cf. §. 13.

φούιξ· φύσιγξ (Aldina σφύσιγξ).

φουλίδερ· παρθένων χορός· Δωριεῖς (λ addidit Ahrensius a φύλλον repetens; non recte puto; ad φυλή potius referendum est, ut sit chorus virginum gentilium), pro φυλίδες cf. §. 15, I.

φούρκορ· ὀχύρωμα (cod. φύρκορ extra ordinem verborum), pro φύρκος cf. §. 15, I.

Certiore argumento carentes propter causam supra allatam Laconicae putandae sunt hae glossae:

ἐκβιούζει pro ἐκβιύζει cf. §. 4.

καμπούληρ· ἐλαίας εἶδος cf. καμπύλος.

μουίαι· σκώληκες, οἱ γενόμενοι ἐν τοῖς κρέασιν, pro μυῖαι.

μουκηροβάκτας· καρυοκατάκτης (cod. μουκηρόβας; recte em. Lobeck.); ad μύκηρος revocandum, quod Lacones μούκηρος dixisse, docet Pamphilus ap. Ath. II p. 53 B.[1])

μουκίζει· σιγᾷ· μέμφεται τοῖς χείλεσιν, a μυκός, non, ut Ahrensio placet, a μύζω, derivandum.

μουκτηριᾷ· σκαρδαμύττει (cod. μουκτυριᾷ; em. Vossius) cf. μυκτηρίζει.

οὐδραία· ὑδρεία. Laconicum esse patet ex glossa οὐδραίνει. q. v.

οὐφίδρωμα· τοῦ σάγματος ἡ πρὸς τῇ πλεύρᾳ διφθέρα, pro ὑφίδρωμα cf. Ahrens. II p. 125.

πουάνοι· κύαμοι ἑφθοί cf. πύανοι.

πούμμα· ἡ τῆς χειρός πυγμή cf. §. 17, 1.

πουνιάζειν· παιδικοῖς χρῆσθαι· πούνιον γὰρ ὁ δακτύλιος cf. πυνιάζειν (sic enim corrig. cod. πυννιάζειν ex ordine verborum).

προυλέσι· πεζοῖς ὁπλίταις cf. πρυλέες; adde Eust. p. 600 extr. et Passow. Lex. s. v. πρυλέες.

ῥουδόν· ῥευστικῶς cf. ῥυδόν.

σούκινος· ὁ εὐνοῦχος, pro σύκινος.

σκοῦλαι· κνῆσαι, pro σκῦλαι cf. Schmidt. ad Hes. s. v.

σιουμμά· αὐστηρά (sic cod., neque correct. Schmidtii σιουμνά opus est, quia assimilandi consuetudo admodum larga erat.

τοῦφος· τῦφος (cod. τάφος; em. Ahrens.).

---

[1]) μουχήρους Λάκωνες καλοῦσι τὰ ἀμύγδαλα.

τρουέται· ἰσχαίνεται· τήκεται cf. *τρύειν.*

φλουάζει· φλυαρεῖ· ληρεῖ cf. *φλυάσσει.*

φουλλομένοι· τιλλόμενοι· Δωριεῖς (cod. *φυλλόμενοι*, corr. ex ordine verborum; frustra laborat Schmidtius dicens: „si haec lectio genuina esset, Hesychium additurum fuisse *Λάκωνες*, non *Δωριεῖς*“; sed vide supra allatam glossam s. v. *φουλίδερ*).

χελούειν· βήσσειν· καὶ χελούσσειν (cod. *χελούσειν*; em. Ahrens.) *ὁμοίως*, pro *χελύειν* et *χελύσσειν.*

χουμόν· χυλόν, pro *χυμόν.*

Adde ex Et. Paris. ap. Koen. ad Greg. Cor. p. 388. *κουτάλη* pro *σκυτάλη.*

2. Eadem vocalis *υ*, sed brevis, quae u pronuntiata est, signo *ο* exarata videtur in titulis recentissimis, cf. *Κονοούρέα* in tit. 1386 B. et *Κονοούρέων* in tit. 1347 B; sic Boeckhius quoque in C. J. I p. 609 extr. o intellexit. Etenim etiam Boeoti *κούνες* dicunt.

De vocalibus mutatis.

§. 8. De vocalibus *α, ε, ι, ο, υ, ω.*

I. *υ* pro *α*, quod reperitur in voce *ἔγκυτον* cf. Hes. gl. *ἔγκυτον· ἔγκατον· Λάκωνες* (cod. *ἔγκυλον* extra ordinem verborum) coll. Lat. „intercus“ antiquius videtur.

2. Dorienses universos *α* longum terminationis *ας* accus. I decl. et nom. III decl. corripere, grammatici testantur cf. Ahrens. II p. 172 sqq., et inter exempla ab iis allata duo sunt Alcmanis *τροπάς* fr. 23, *Αἶας* fr. 52; sed apud Lacones solis poetis, quibus viam monstravit Hesiodus (cf. Matthiae. Gr. Gr. I p. 186 extr.), hanc licentiam fuisse suspicor, praesertim quum in Ar. Lys. v. 1264 accus. *σπονδάς* ultimam longam habeat.

II. Lacones, ut alii Dorienses et Aeoles, in nonnullis vocibus *α* usurpant, in quibus Jones et Attici *ε* pronunciare solent; exstant hae:

ἀνακάς (*ἀνεκάς*) cf. Hes. gl. *ἀνάκανθα· ἐν ὑπερῴῳ· Λάκωνες* et *ἄνακας, τοὺς Διοσκόρους ἢ ἄνωθεν, ἐν ὕψει, ἄνω*, ubi *ἄνακας* et *ἀνακάς* confusa sunt.

Ἄρταμις (*Ἄρτεμις*) in Ar. Lys. v. 1262; sic enim ibi legendum est coll. *Ἀρταμίτιον* v. 1251.

ἀψίαι (*ἑψίαι*) cf. *ἀψίαι· ἑορταί· Λάκωνες* ap. Hes. s. v.

ἴρανες (*εἴρενες*) cf. Hes. gl. *ἴρανες· οἱ εἴρενες, οἱ ἄρχοντες ἡλικιῶται· Λάκωνες* (ex coni. Nauckii; cod. *διώκοντες*).

κά (*κέ*) cf. Ar. Lys. v. 117. 180. Thuc. V, 77. Plut. A. L. p. 290 n. 46. De garr. p. 618 n. 17. Lys. c. 14.

κραάρα· κόσκινον ἢ ὄρυγμα ap. Hes. s. v., pro *κρησέρα.*

Eadem mutatio observatur diphthongi *ει*:

αἰ (*εἰ*) cf. Alcm. fr. 35. 74. Ar. Lys. v. 1099. 1162. alii. Thuc. V. 77 compluries; saepissime occurrit in Plut. dictis Laconicis.

κύπαιρος (*κύπειρος*) cf. Alcm. fr. 29, recte a Welckero pro *κύπερος* emendatum sec. Heraclidem ap. Eustath. 1648, 7. 969, 8; cf. *κυπαιρίσκος* in fr. 34.

λιγαῖα (*λιγεῖα*) in Alcm. fr. 1 e Prisciano edidit Welckerus, quam lectionem sine iure Ahrensius II p. 187 in suspicionem vocat regula ficta „ubi diphthongus *ει* ex *ε* vel *ι* natus sit, eum non mutari in *αι*.“

Licet de origine vocabulorum, quae enumeravi, nihil certi dicere possim, tamen non dubito, quin *α* antiquitatis colorem prae se ferat, et *ε*, quandocunque factum est, ex eo attenuatum sit.

2. *ι* cum *ε* sequente vocali mutatum esse videtur a Laconibus solis in his vocibus:

σιός (*θεός*)[1]) in Ar. Lys. v. 81. 86. 90 aliisque multis. Thuc. V 77, ubique in Laconicis, cf. Hes. gl.: *σιόρ· θεός· Λάκωνες* et *ἐσιώθην· ἐθεώθην* (sic corr. cod. *ἐσώθη* cf. Schmidt. ad h. l.). Recentiores fontes *θεός* praebent, cf. tit. 1338 B. Plut. Ap. L. (Agesilai) p. 254 n. 7 cf. §. 14.

σιά (*θεά*) in Ar. Lys. v. 1263. 1320.

γαλιῶται (*γαλεῶται*) cf. Hes. gl. *γαλιῶται· ἀσκαλαβῶται· Λάκωνες* (cod. *γαλλεῶται* extra ordinem verborum; suo loco mota videtur glossa).

Semel ante consonam:

διφοῦρα (*γέφυρα*) cf. Hes. gl. *διφοῦρα· γέφυρα· Λάκωνες*, nisi hoc verbum diversae originis est.

Num *ι* genuinum sit, discerni non potest.

III. Complures voces apud Lacones *ε* pro *ι* exhibent; quas tradit Hesychius:

σεκουάνη· ἐλαίας εἶδος· Λάκωνες Antecedit *σεκουάνα· σικύα*, quod cum Ahrensio in *σεκούα* corrigo. Laconicas esse glossas ostendit *ου* pro *υ* usurpatum cf. §. 7. Et quia nusquam alibi haec mutatio invenitur, Laconicae existimandae sunt ceterae quoque eiusmodi glossae:

σέσυφος· κακοῦργος.

σέλπον· σίλφιον (fortasse *σέλπιον*).

βλέτυες· αἱ βδέλλαι, cf. *βλίτυξ. βδέλλα* (cod. *βαίτυξ*; em. Salmas.).

κύβεσις ἢ κίβισις· πήρα, cf. *κίβισις· πήρα· Κύπριοι.*

Eodem pertinet *Ἐσσεδόνες* pro *Ἰσσεδόνες*, quod ex Alcm. citat Steph. Byz. s. v. (sic ibi optimus cod., alii *Ἀσσεδόνες*).

---

1) Cf. Anecd. Ox. II p. 260, 15: τὸ „θεός“ „σιός“ λέγουσιν οἱ Λάκωνες διὰ τοῦ ι.

IV. Vocalis *ο* mutata reperitur 1. in *α*: *σαλία* (*θολία*) cf. Hes. gl. *σαλία· πλέγμα καλάθῳ ὅμοιον, ὃ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φοροῦσιν αἱ Λάκαιναι· οἱ δὲ θολία.*

2. in *ε*: *γέργυρα* (*γόργυρα*) in Alcm fr. 101 cf. Et. M. p. 228, 39; Bekk. Anecd. Gr. I p. 233, 27. — *δύε* (*δύο*) in tit. 1511 B. sine dubio corruptum est.

V. Lacones *υ* in *οι* mutarunt; *Πύθιοι* enim, quos commemorant Xen. Resp. Laced. 15, 5; Her. VI, 57 cf. O. Mueller. Dorer II p. 14 ab iis *Ποιθίοι*[1]) nominati esse videntur; deinde *Κάροια* nomen Laconicum urbis *Κάρυα* est[2]). Neque haec mutatio analogiis caret apud Graecos cf. *κῦρος*: *κοίρανος*; *λυγρός* (rad. *λυγ*): *λοιγός*; apud Latinos cf. poena: punio; moenia: munio.

2. Contrariam mutationem Lacones usurpant in voce *θύνα*, apud ceteros Graecos *θοίνη*, cf. *θυναρμοστρία* in tit. 1435. 1436 B.; vulgaris forma *θοιναρμοστρία* in tit. 1439. 1446. 1451 B. Antiquior videtur vocalis *υ*, si quidem *θύνα* a verbo *θύω* repetendum est. Causa in pronuntiatione latere videtur.

3. In decreto Spartanorum contra Timotheum pro *υ* semper *ι* exhibetur, veluti *πολιφωνίαν, λιμαίνεται, ἀμφιέννιται, διεσκειάσατο, Ἐλευσινίαρ* etc.; sed in reliquis fontibus ne unum quidem exemplum reperies, immo vero contraria; quare quum ipsum decretum ficticium sit cf. §. 2 extr., inscitiae auctoris hanc rem tribues, quae Aeolibus propria est cf. Ahrens. I p. 81.

VI. Pro vocali longa *ω* occurrit breve *ε* in duobus ad-

---

1) Cf. Photius s. v. Ποιθίοι · τέτταρες ἄνδρες αἱρετοὶ παρὰ Λάκωσιν.

2) » Steph. Byz. s. v. Κάροια, quae quum ordinem verborum turbet, Meinekius Κάρυα emendat, sed repugnat auctoritas optimorum codicum Rhedigerani et Vossiani.

verbiis ἔξεσας et ἔντεσας, illud pro vulgari ἔξωθεν, hoc pro ἔσωθεν vel potius ex genuino ἐνς fingendo ἔνσωθεν, ἔντωθεν. Possis forsitan hanc mutationem explicare, quum derivas a formis non minus Laconicis ἐξεῖ et ἐντεῖ pro ἔξω et ἔνδον cf. Hes. gl. ἐξεῖ· ἔξω· Λάκωνες et ἐντεῖ· ἔνδον· Λάκωνες (cod. ἐνύει; corr. Koenius ad G. C. p. 351).

§. 9. De vocali η.

I. Postquam literae η loco saepissime α conspici monstratum est, quam late pateat usus literae η, definire oportet. Lacones igitur cum ceteris Doriensibus et Aeolibus η adhibent, si ex ε ortum est. Itaque η reperitur:

1. In III decl. terminationibus ης, ηρ, ην, cf. εὐτρεπής in Ar. Lys. v. 1315, Τιμοκράτης in tit. 1247 B., Ἀριστοτέλης in tit. 1248 B. aliaque permulta; θυγάτηρ in Alcm. fr. 47, ἀνήρ fr. 53, ὀλετήρ fr. 124, φυσάτηρ in tit. 1511 B., σωτήρ in tit. 1325 B. aliaque; ποιμήν in Alcm. fr. 11; η ex ε ortum esse ostenditur cognatis formis, velut genitivo et Lat. „er"; nominum quae in ης, omnium, quae in ηρ et ην exeunt, complurium genitivus genuinum ε retinet; cum σωτήρ cf. σώτειρα, cum aliis alia.

2. In verborum, quae ab ε incipiunt, augmentis, cf. ἠράσθη in Alcm. fr. 23, ἧστο fr. 53, συνήκαμες in Plut. A. L. p. 286 n. 1, ἐδήδοϜα in tit. 15 B., κατηρειμμένον in tit. 2 K.

3. In temporibus derivatis verborum, quae in εω cadunt, cf. ἐτύρησας in Alcm. fr. 25, ποιησώμεσθα in Ar. Lys. v. 1006, ἐποιήσαμες in Plut. A. L. (Agesilai) p. 257 n. 41, ἔθηκας in tit 15. 1338 B., ἱππαρχήσας in tit. 1418 B.

4. In terminatione ην optativi activi, cuius primum ε ostendit 3 pers. plur. εν, cf. εἴην in Alcm. fr. 106, εἴη in

Ar. Lys. v. 1267. In terminationibus coniunctivi, quarum η nihil est nisi ε indicativi productum, cf. ἅδη in Alcm. fr. 25, θίγης fr. 34, ᾖ in Ar. Lys. v. 174, ἕλση v. 105, συνέχης v. 1265, δοκῇ in Thuc. V, 77, ἄρχηται in Plut. A. L. (Agesilai) p. 257 n. 41.

In aoristi I et II passivi terminationibus θην et ην, quarum illi radix θε verbi τίθημι esse videtur; sed ε genuinum etiam optativo et participio apparet; unum exemplum exstat: ἠράσθη in Alcm. fr. 23. Commemorandum hic est χρή ex Hipp. ep. ap. Xen. Hell. I, 1, 23, cf. χρεία, χρέος.

5. In omnibus vocabulis, a stirpibus, quae ε habent, vel derivatione vel compositione ductis, cf. μάθησις in Alcm. fr. 59, ἀκήρατος fr. 29 (cf. κεράω), συνθήκα in Ar. Lys. v. 1268 (cf. θέω), τριήρης in Ar. Lys. v. 173 cf. tit. 1511 B. (non ab ἄρω, ut fere solet, repetendum, sed ab ἔρω (εἴρω) i. e. serere), μαχητάς in Plut. Ap. Lac. (Agesilai) p. 277 n. 15, φιλοχρηματία Inst. Lac. p. 296 n. 42 (χρέος, χρεία), μυθητάς ibid. p. 296 n. 39, πλῆθος Lys. c. 14 (rad. πλε, non πλα, sicuti docet Homericum πλείμην, Latin. „pleo," cf. Buttm. Gr. Gr. §. 114 s. v. πίμπλημι), σωτηρία in Plut. Lac. Ap. p. 299 n. 10, cf. n. 1, Εὔκλητος in tit. 1247 B., εὔχρηστος in tit. 30 V. (κ(α)λέω), κάβλημα ap. Hes. s. v. (rad. βελ antiquissima, per metathesin βλε, cf. Homeri βλεῖο, praeterea formae βέλος, βέλεμνον, βόλος, βολή, ἑκατηβελέτης).

Adnot.: Huic praecepto repugnant: ἐπιθάκα in Alcm. fr. 53, μαχατάς in Plut. De mal. Her. c. 32 cf. Hes. s. v., μαχατάρ, φίλαμα in Plut. Ages. c. 11, ἀνσατήρ (ἀνθητής, ἀνθέω sec. Valck. ad Theocr. Adon. p. 278 B) ap. Hes. s. v.

Neque ἀπεσσούα pro ἀπεσσύη in Hipp. ep. ap. Xen. Hell. I, 1, 23 cur reiiciatur, intelligo, quum et codicum et Eustathii (cf. p. 1792, 6) auctoritate defendatur; attamen Ahrensius II p. 147, ferri non posse hanc formam ratus, quod

ne Graecum quidem sit *ἐσύην*, *ἀπέσσα* substituit; debuit meminisse analogae formae *ἐῤῥύην*. Atque omnia illa exempla ne vere Laconica iudicem, non abhorreo, sic interpretanda, ut ex sermone vulgari eoque posterioris aetatis, qui sine dubio inscitia plebis duriorem vocalem amantis eiusmodi multa recepit, repetita videantur. Atque haec res eo minus offendit, quo saepius etiam pro *ε* Lacones graviorem sonum literae *α* quaesiverunt, cf. §. 8, II.

6. In his singulis quae exstant vocabulis:

ἥκην in Ar. Lys. s. 1077. (rad. *ἑ* cf. Curtius p. 193) — *κηρός* cf. *κηρινός* in Alcm. fr. 28 cf. Lat. „cera." — *πήλυξ* (*σπήλυγξ* cf. §. 18, II) ap. Hes. s. v. cf. Lat. „spelunca." — *σήρ* (*θήρ*) cf. *σηροκτόνος* in Ar. Lys. v. 1262 cf. Lat. „fera" et Curtius I p. 221.

7. Genuinum *ε* latet in substantivis, quae in *ημα* cadentia non *α* verbis terminationis *εω* derivantur, qualia sunt *ἐριφίημα*, *καρύημα* aliaque cf. §. 22, 2; deinde in his vocibus: *δήλομαι* i. e. *βούλομαι* ap. Hes. s. v. et in Plut. A. L. (Brasidae) p. 268 n. 3, *δείκηλον* ap. Hes. s. v. *δείκελον* (sic corrigenda ex glossa *δίκηλα* cf. §. 13, 3), *Λήδα* in Ar. Lys. v. 1314, *τῆνος* cf. §. 25, in particulis *δή*, *δῆτα*, *ἤδη*, *μή*, quae ubique occurrunt, in suffixo *η* pronominum personalium cf. §. 25.

II. Pro *η* invenitur *ε* in voce *χορωφελέτας* cf. Ar. Lys. v. 1319, quamquam alias *ε* in eiusmodi vocabulis semper producitur.

§. 10. De diphthongis.

I. Lacones nonnunquam *η* usurpant, ubi ceterae dialecti *ει* tuentur; qua mutatione, ut ita dicam, affecta sunt:

1) Adiectiva, quae vulgo in *ειος* exeunt, ut *Λύκηος*[1]) in Alcm. fr. 36, unde in fr. 35 a Welckero restitutum est, et *ὄρηος*[1]). Contra *ἱερεῖον* in Ar. Lys. v. 84. Fallitur Schol. ad Callim. hymn. in Del. v. 315 *τοπήϊα* Laconicum esse dicens, et Choeroboscus in Anecd. Ox. II p. 244, 28 *οἰκήϊος* universae Doridi tribuens, quum potius Jonicum sit.

2. Singula quaedam: *κηρύλος* in Alcm. fr. 12 pro *κειρύλος*, quae forma apud Aristophanem solum in Av. v. 299 invenitur, unde etiam Hesychius et grammatici, qui eam ut Atticam afferunt, hausisse videntur; sed fortasse Passow. Lex. s. v. *κηρύλος*, ioci gratia *κειρύλος* ab Aristophane illo loco fictum esse et *κηρύλος* solum in usu fuisse apud omnes Graecos, recte arbitratur.

πελήα pro *πελεία* cf. Hes. gl. *πελήαρ· περιστεράς καὶ Περσικῆς τὸ ἥμισυ· Λάκωνες* (cod. *πέληρ· περιστερᾶς*; em. Schmidt.).

Πληστονίκα pro *Πλειστονίκα* in tit. 1506 B. legitur, unde colligitur *πλῆστος* et similia *πλήων*, *μήων*; quarum vocum *η* grammaticorum testimonio, qui Doridi universae tribuunt, firmatur; Lacones sic dixisse verisimile est, quamquam Alcman in fr. 85 *μεῖον* exhibet.

βήλημα pro *εἴλημα* cf. §. 4; cuius *η* abiecta consona ex *ε* productum esse, intelligere non licet cf. Curtius II p. 127.

χήρ pro *χείρ* cf. *χηρός* in Alcm. fr. 114. Vulgarem formam praebet Ar. Lys. v. 1321. Fortasse genuina forma est *χέρς*, gen. *χερρός*, quod Aeoles usurpant, ita ut ex lege, quam §. 11 tractabo, pendeat.

Adnot.: Contraria mutatio conspicitur in *Πολυδεύκεις* ap. Alcm. fr. 3, *πριείρης* fr. 23, *ἔφειβος* in tit. 1432 B. Sed

---

[1]) Cf. Et. M. p. 32, 8. τὸ „ὄρηος" καὶ „Λύκηος" Λακωνικά, cf. p. 365, 27 et Anecd. Ox. II p. 51, 20.

Πολυδεύκεις non Laconicum esse, permulta exempla nominum in *ης* III decl. exeuntium docent; neque codices in ea voce consentiunt; *ἔφειβος* in titulo facile oriri potuit ex *ἔφηβος*, quod multi alii tituli tradunt; *τριείρης* voci Aristophanis *τριήρεες* in Lys. v. 173 repugnat; quare Lacones hanc mutationem ignoravisse, iudicandum est atque *Πολυδεύκης* et *τριήρης* ap. Alcm. restituenda sunt.

II. *ω* pro *αυ* occurrit in Laconico cognomine Jovis *Καπ-πώτας* i. e. *Καταπαύτας* cf. Paus. III, 22, 1.

III. *ω* pro *ου* apparet in voce *ὦν* (*οὖν*) cf. Stob. Floril. p. 576, 38; inde etiam *γῶν* pro *γοῦν* in Ar. Lys. v. 155 contractum ex *γὲ ὦν*; *κῶρος* et *κώρη* (Jon. *κοῦρος*, *κούρη*, Att. *κόρος*, *κόρη*), quae forma colligitur ex titulo comoediae Epilyci; tum *Κώρη* invenitur in tit. 1449, quamquam ceteri recentes tituli semper *Κόρη* praebent; denique in Ar. Lys. v. 1308 *κῶραι* legitur in Iuntina, in reliquis libris Mss. *κόραι*, quod praeferendum est; illud mendum typothetae. Tum in *ὤρανος* (*οὔρανος*) cf. Alcm. fr. 5, quod, si vera est comparatio Curtii I p. 315 cum Sanscr. „varunas," contractione ex *ὀάρανος* ortum intelligere liceat.

IV. De correptione diphthongorum *αι*, *ει*, *οι*, *ου* cf. §. 18.

§. 11. De lege quadam productionis brevium vocalium.

Ubicunque flexione aut compositione verborum aut aliquo modo durior consonantium concursus prodibat, Lacones, ut ceteri Graeci, ex iis unam eiicere et supplementum productione antecedentis vocalis quaerere solebant, ita ut *α* in â, *ε* in *η*, *ο* in *ω* mutarent. Contra Jones et Attici et Doriensium plerique *ε* in *ει*, *ο* in *ου* et Doriensibus exceptis *α* saepe in *η* vertebant. Est autem illa ratio Laconibus antiquissima et recenti demum aetate vulgari cessit. Fusius de hac re agit Ahrensius II p. 153 sqq., sed cum licentia quadam plura huc rettulit, quam ferri potest. Jam perquiremus singula quae exstant exempla:

I. *α* breve semper in *α* longum transire, ex iis, quae in §. 5 dicta sunt, elucet.

II *ε* in *η*, *ο* in *ω* producuntur:

1. Ubicunque *ν* vel *ντ* sequente *σ* extrusum est, quod factum videmus a) in accus. plur. II decl., cuius genuina terminatio est *ονς* cf. Bopp. V. Gr. I p. 465, ab Argivis et Cretensibus servata, cf. Ahrens. II p. 104. Laconica mutatio in puris fontibus, apud Alcmanem et Aristophanem, semper invenitur; Thuc. V, 77 plerumque *ως*, rarius *ους* edit idque librariorum culpa; etiam Chilonis epist. et saepius Plutarchus in Laconicis *ως* praebent; titulorum vetustiores nullam eiusmodi formam exhibent, in recentioribus vulgaris terminatio usurpata est, ut in tit. 1511 cf. Boeckh. ad. h. l. — b) in nom. sing. III decl. primae terminationis *ενς* vel *εντς*, quo pertinent nomina vulgo in *εις* exeuntia, cf. *οὐδής* in tit. 71 L. (*οὐδένς*), *ἄρσης* in tit. 1464 B. (*ἄρσενς*), *Αἰγλάηρ* ap. Hes. s. v. (*Αἰγλάενς*) cf. §. 5.; itaque Tarentinorum, quippe qui coloni Spartanorum sint, *ἧς* (*ἕνς*) Laconibus antiquis quoque tribuendum est; non minus *χαρίης*, quod Apollonius[1]) sine nomine tradit. Terminationis *ως* (*ονς*) pro *ους* nullum superest exemplum. — c) in feminino participiorum; nom. terminationis *ησα* (*εντσα*) non reperitur, sed *ωσα* vel *ωά* (*οντσα*) saepius occurrit, cf. *κλέωά* in Ar. Lys. v. 1299, *ἐκλιπῶά* v. 1297, *θυρσάδδωά*, *πάδδωά* v. 1313, *μίργωσα* cf. Hes. gl.

---

[1]) Cf. Apoll. Dysc. De adv. p. 573, 26: ἐν διαλέκτῳ τὸ „χαρίης."

μιργώσαι· πηλοῦσαι. οἱ αὐτοί (cod. *μιργῶσαι· πηλῶσαι*; em. Ahrens. II p. 73; paulo ante excidit *Λάκωνες* secund. Albertium, ad quod refertur *οἱ αὐτοί*). — d) in substantivis vel potius adiect. derivatis, quae vulgo in *ουσιος* (*οντσιος*) cadunt, velut in *γερωΐα*, cf. Hes. gl. corruptae: *γερῶα· γεροντία· ἦν γὰρ σύστημα γερόντων*, quae ordinem verborum turbat et fluxisse videtur ex altera: *γερωνία· γεροντία· παρὰ Λάκωσι καὶ Κρησί*; sine dubio, ut iam Giesius Dial. Aeol. p. 318 vidit, in unam coniungendae sunt: *γερωΐα· γεροντία· παρὰ Λάκωσι καὶ Κρησίν. ἦν γὰρ σύστημα γερόντων*; non sequor Giesium *γερουσία* addentem, quod *γεροντία*, vocabulum antiquissimum et inusitatum, (attamen Xenoph Resp. Lac. X, 1, 3 id usurpat ita, ut significet „munus senatoris") explicatio esse non possit; at vim explicandi extrema verba *ἦν γάρ* etc. habent. — e) denique in voce *μῶσα*, cf. Alcm. fr. 1. 4. 5. 6. 7. 120 vel *μῶά* cf. Ar. Lys. v. 1249. 1297, orta ex *μόνσα* cf. Curtius I p. 276, omnibusque inde ductis, ut *μωϊκός*, *μωΐδδην* vel *μῴδδην* cf. §. 17, 2.

2. Ubicunque *σ* ante *μ* aut *ν* eiectum est; itaque *η* invenitur pro *ει*: — a) in quibusdam formis verbi *εἰμί*, cuius princeps forma est *ἐσμί*, cf. *ἦμεν* (*εἶναι*) in Chilonis epist. et in Plut. Lacaen. Ap. p. 300 n. 26. 29; inde colligenda sunt *ἠμί*, *ἠμές*, quae tamen nusquam in Laconicis traduntur; habemus recentissimi tantum temporis corruptas formas *εἰμές* in Plut. Lyc. 26, Ap. Lac. p. 290 n. 46, *εἶμεν* in tit. 1511. 1334. 1335 B. — b) in subst. derivatis cf. *γῆμα* pro *εἶμα* i. e. *ἕσμα* ap. Hes. s. v. — c) in adiectivis, quae vulgo *εινος* terminantur, ut in *σῆνος* cf. Hes. gl. *σῆνα· θυσία· Λάκωνες*; genuinum est *θέσνος*, quod ostendunt *θέσφατος*, *θεσπέσιος*; Cretenses *θεῖνος* dicunt.

3. In infinitivis, qui consonam *μ* ante sequens *ν* amiserunt; prima enim terminatio fuisse videtur *εμεν*, cuius *ε* altero eiecto *εμν* evasit, cf. *σιγῆν* (*θιγεῖν*) in Ar. Lys. v. 1004 cf. §. 14.

4. Ob eandem causam scil. consonam perditam dicitur *Πηρεφόνεια* cf. Hes. gl. *Πηρεφόνεια· Περσεφόνεια· Λάκωνες*, et *Ϝήλως* i. e. *Εἵλως* cf. §. 4 n. 6.

Adnot.: Hanc regulam amplius progressus ad omnes formas, quarum *ει* in ceteris dialectis ex *ε* productione propter consonam eiectam ortum esse constat, adhibere possis, ut aoristi I verborum, quae liquida vocantur (*ἔνημα* pro *ἔνειμα*, *ἔσπηρα* pro *ἔσπειρα* etc.); sed talia enumerare omitto, quia nullo exemplo nituntur.

De consonis.

§. 12. Primae consonantes servantur.

Lacones etiam in usu consonantium quarundam antiquitatem constanter defenderunt; quare cavendum est, ne eos mutasse credas, ubi ceteri Graeci mutarunt. Considerandae hoc loco in primis consonae *κ*, *ν*, *σ*, *τ*.

I. *κ* genuinum retinetur:

1. In adverb. temporum, quae in *κα* exeunt, quod ostendit comparatio linguae Sanscr. cf. §. 5, II, 1.

2. In voce *ἶξ* pro *ἶψ* cf. Alcm. fr. 124. Quamquam enim Ammonius De differ. vocab. s. v. *ἶπες*, inter *ἶξ* et *ἶψ* discernit, tamen utrumque ad eandem stirpem *ἰκ* revocandum atque *ἶξ* dialecto proprium esse (ap. Alcm. solum l. c. occurrit), iure suo suspicatur Curtius II p. 49.

II. *ν* genuinum in terminatione 3 pers. plur. act. *ντι*, quo eiecto Jones et Attici vocalem antecedentem produxerunt.

III. σ genuinum:

1. In terminat. 1 pers. plur. act., quae μες (μεν) sonat, respondens Lat. „mus“, Sanscr. „mas“, cf. πείσομες in Ar. Lys. v. 168, ἀποκεκύφαμες v. 1003, ἥκομες v. 1077, βλιμάττομες v. 1164, μογίομες v. 1002, ἀδικίομες v. 1148, ὑμνίωμες v. 1305, λῶμες v. 1105, πεπόνθαμες v. 1098, ἀπορίομες in Hipp. ep., ap. Plut. haec exempla: ἐλάσαμες, ἐποιήσαμες, μέλλομες, ἐπιλελάθαμες, συνήκαμες; itaque in Lys. c. 18 ὑμνήσομεν corrigendum est.

2. In vocabulo ἄρσης cf. tit. 1464 B., ortum ex ἄρσενς; ceteri Graeci ἄρσην; collata participiorum formatione haec quoque ratio probatur, sed antiquitatis gloria Lacones sequitur. Adverb. αἰές[1]) in Ar. Lys. v. 1267 vetustum est pro αἰέν, ἀεί, si quidem sententia Benfeyi I p. 7. 8 recipitur.

3. In adverbio antiquissimo ἔξεσας pro ἔξωθεν cf. §. 5, II, 2; fortasse inde corrigendum est ἐντεσα ap. Hes. s. v. in ἔντεσας cf. l. c.

4. In voce σάμερον pro τήμερον cf. Eupol. Hel. fr. 1; σ ex summa antiquitate petitum est, quum pronomini demonstrativo respondeat ab σ incipienti, quod Graeci in spiritum mutarunt (ὁ, ἡ), cf. Curtius I p. 362. Ceterum τήμερον Atticis solis proprium est cf. Buttm. Gr. Gr. II p. 293.

IV. τ genuinum:

1. Pro δ ceterorum Graecorum in mediis quibusdam vocabulis; nam tenuem apud Graecos interdum ad mediam descendisse praecipue tenuem gutturalem, observare licet, cf. Curtius II p. 112 sqq. Huc pertinent: πάρταξον in Hes. gl.: πάρταξον· ὕγρανον· Λάκωνες (cod. πάρταζον) cf. παρδακός ap.

¹) Cf. Theognost. in Anecd. Ox. II p. 3, 8. Λάκωνες δὲ „αἰές“ φασιν.

Hes. s. v. — Ἀρτέμιτος etc. pro Ἀρτέμιδος etc. cf. Alcm. ap. Eustath. p. 1618, 29 et tit. 1416 B., ubi Ατρέμιτος sine dubio corrigendum legitur.

2. Pro σ Jonum, Atticorum, Aeolum in mediis vocabulis; latius patet haec consuetudo et conspicitur a) in coniug. terminat. τι (σι) activi verborum in ω exeuntium pluralis (ντι) et in μι cadentium sing. 3 pers.; genuinam esse consonam Lat. formae „legunt, legit“ et Sanscr. „ti“ ostendunt. Exempla sunt permulta, cf. αἰνέοντι in Alcm. fr. 73, ἔχωντι in Ar. Lys v. 173, ἐστύκαντι v. 996, ἐῶντι v. 1005, ψιάδδοντι v. 1302, μέλοντι v. 1306, ἀμπάλλοντι v. 1310, σείοντι v. 1312, εἴκωντι, ἔχωντι in Thuc. V, 77, πεινῶντι in Hipp. epist., λέγοντι, ἀποκλαίοντι, ἁλώκαντι ap. Plut., denique βίβατι in epigr. Lac. ap. Polluc. IV §. 102 et ἠτί i. e. φησί in Anecd. Ox. I p. 190, 20; — b) in adiectivis, quae vulgo terminationem σιος habent, siquidem a nominibus, quorum stirps in τ exit, derivata sunt, ut Ἀρταμίτιος cf. Ἄρταμις, genit. Ἀρτάμιτος in Ar. Lys. 1251, ἐνιαύτιος cf. ἐνιαυτός, πλούτιος cf. πλοῦτος, πλητίος cf. πλητός¹). Addenda sunt substantiva in σια vulgo desinentia, quae eiusdem originis feminina adiectivorum esse videntur, ut Ἀφροδιτία scil. πόλις, urbs Laconica, ap. Steph. Byz. s. v., qui hausit ex Thuc. IV, 56, ubi nunc Ἀφροδισία legitur, cf. Ἀφροδίτη et Ἀφροδίσιος; γεγοντία scil. βουλή ap. Hes. s. v. γερωνία cf. §. 11, II, 1; — c) in numeralibus cum ἕκατον compositis, cf. ὀκτακατίοι in tit. 1511 B. Accedit βείκατι ap. Hes. s. v. et Fίκατι in tit. 1511 B. pro εἴκοσι; primum τ monstrant Lat. „viginti“, Sanscr. „vinçati;“ — d) in praepositione ποτί (πρός), cf. Ar. Lys. v. 82. 87.

¹) Cf. Et. M. p. 156, 16: οἱ Λάκωνες τὰ παρὰ μέλλοντα εἰς τὸ τ οὐ τρέπουσιν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τ εἰς τὸ σ · ἐνιαυτός, ἐνιαύτιος λέγουσιν, ὑπόμνησιν διδόντες τοῦ πρότερον τ· πλοῦτος, πλούτιος· τὸ δὲ πλησίος πλητίος λέγουσιν.

95. 1076, Plut. de garr. p. 618 n. 17, Inst. Lac. p. 295 n. 29, Ap. Lac. p. 298, tit. 2 K., in quo semel *πρός* legitur, quae vulgaris forma in tit. rec. occurrit; in comparationem vocetur Sanscr. „prati.“ Ad quod quamquam forma *προτί* etiam propius accedit, tamen ex uno loco cf. Alcm. fr. 79, in quem metro cogente a Welckero illatum est, Laconibus tribuere non ausim; — e) in voce *Ποτιδάν* cf. *Ποτιδᾶ* genit. in Eupol. Hel. fr. 6; num *τ* genuinum sit, dici non potest, quia etymologia in obscuro versatur, nisi ad verbum *ποτίζω* refugere vis.

Adnot.: Falsa sunt exempla auctoris decr. c. Tim. *κιθάριτις*, *ἐπαναγκάται* cf. §. 13.

3. *τ* initiale servatum est in pronom. person. *τύ*, *τύγα*, *τύνη*, *τούνη*, *τέο*, *τοί*, *τίν* etc. et possess. *τεός* cf. §. 24, Lat. „tu, tui, tuus“; Sanscr. formas vid. ap. Bopp. II p. 122; deinde in articuli nom. plur. *τοί*, *ταί*; *τ* a principio adhaerere, demonstrat Bopp. I p. 447; II p. 136.

§. 13. Consonae *ξ* et *κ* pro *σ* linguae convenientius usurpantur.

Agitur de verbis in *ζω* cadentibus et substantivis, quae cum iis cohaerent. Si enim quaeritur, unde *ζ* talium verborum ortum sit, ad vestutum *δ*j redire oportet, quod ipsum auctum respondet Sanscr. „j“, cf. Bopp. I p. 31 et 228; Curtius II p. 187. Cuius originis satis memores Lacones in derivandis verbi temporibus diversis et substantivis *δ*j*σ* in *ξ* coalescere iusserunt. Etenim j*σ* propter arctissimam cognationem literae j et palatinarum, est enim simile *χ* attenuato, in *ξ* coire necesse est, ita ut prodeat *δξ*; quae consonae

quum coniunctae vix pronunciari possint, *δ* extruserunt; j*τ* autem ob eandem causam et quia tenuis nullam aliam, nisi tenuem literam praecedere patitur, in *κτ* mutatum est; itaque invenimus:

1. Verborum formas *ἁρμόξατο* in Alcm. fr. 20, *ξυναλίαξε* in Ar. Lys. v. 93, *μυσίξαι* v. 981, *διποδιάξω* v. 1243; *πορπακισάμενος* v. 106 non Laconicum est; *ὠβάξαντα* in Plut. Lyc. c. 6; accedunt complures glossae Hesychii: *ἀμβροτίξας· ἀπαρξάμενος· Λάκωνες.* — *ἀμπάξαι· παῦσαι· Λάκωνες*, cf. *ἀμπάζονται.* — *ἀπαλασίξαι· ὀμόσαι· Λάκωνες* (cod. *ἀτταλασίξαι*; em. Valcken.). — *ἀπαλοίξαι· ὀμόσαι· Λάκωνες*; incertae etymol. verbum. — *ἀπέσοιξεν· ἀπέσωσεν· Λάκωνες.* — *πάρταξον* pro *πάρτασον* cf. §. 12, IV, 1.

Adnot.: Inde exemplis deficientibus sequitur, ut pro *κ* perfecti act. et *σ* aoristi pass. *χ* et pro *σ* perfecti pass. *γ* apud Lacones apparuerit.

2. Substantiva in *ξις* (*σις*) cadentia, cf. Hes. gl. *ἵππαξις· πομπῆς ὄνομα παρὰ Λάκωσιν*; — *φούαξιρ* pro fingendo *φύασις* cf. §. 7 et 15, I, 4; — deinde *Σοίξιππος* in tit. 1457 B., *Σοιξιτέλης* in tit. 1271. 1282. 1373 B., *Σοιξιάδας* in tit. 35 V. cf. Keil. Anal. epigraph. p. 116; ceteri tituli recentes vulgarem formam *Σωσι* — praebent.

3. Nomina terminationis *κτος* et *κτας*, cf. Hes. gl. *δεικηλίκται· μιμηταὶ παρὰ Λάκωσι* (cod. *δεικηλίσται*, em. Valcken. coll. gl. *δίκηλον· ἐκτύπωμα· . . . , ὅθεν καὶ ὁ μιμολόγος παρὰ Λάκωσιν δικηλίκτας*, cf. Plut. Ap. Lac. p. 259 n. 57; Ages. c. 21); contra *δικηλίσται* tradunt Athen. XIV p. 621 E; Eustath. p. 884, 23. 1818, 1; Et. M. 260, 43; Suid. s. v. *δικηλιστῶν*, quos omnes morem Laconicum neglexisse, certum est. Dicebant Lacones *δεικηλίκτας* et *δικηλίκτας*, quorum hoc vetustius videtur, quam radix sit *δικ*; — *ἐπευνάκτοι* cf. Theopomp. ap. Athen. VI p. 271 C, ab *εὐνάζειν*

ductum; vid. *ἐνευνάκτοι* ap. Hes. s. v. Discrepant *κιθαριστάν* in Alcm. fr. 73, *ὁπλιστάν* in dicto Lac. ap. Jacobs. Anthol. II p. 297; a Laconibus haec exempla petita non sunt, etiamsi recentes quoque tituli talia exhibent.

§. 14. De consona *ϑ* in *σ* mutata.

Ex Doriensibus soli Lacones spirantem *ϑ* in *σ* mutare solebant[1]), quod non tam mirum nobis videbitur, si sonum literae *ϑ* cum Britannorum „th" comparandum esse meminerimus; negligentius igitur pronunciantes sonum, cui aliquid sibili admixtum erat, ediderunt et magis magisque assimilatum — plane idem enim non fuit — scribentes etiam sigillo *σ* exarare coeperunt. Si autem ante Alcmanem hunc morem nondum exstitisse, ex ea re Ahrensius cogere sibi posse videtur, quod Tarentini, qui paulo ante illius aetatem in Italiam profecti sunt, nullum talis mutationis vestigium reliquerunt, ita coërcere velim, ut Tarentini eodem modo, quo Lacones, pronunciaverint, sed sigillo *ϑ* usi sint, quia scriptura iis discedentibus nondum invaserat. Neque Alcmanis raro usu quidquam efficitur, quippe qui non Laconicam solam dialectum adhibuerit; quatuor enim exempla literae mutatae, permulta retentae praebet; contrarium conspicitur apud Aristophanem. Grammatici, quos enumerare longum est, Doridi universae hoc proprium esse, perperam docent. Exemplorum magnam copiam auctores suppeditant:

---

[1]) Cf. Apoll. Dysc. De constr. p. 39, 3: οἱ μὲν ἄλλοι Δωριεῖς τηροῦσι τὸ θ, Λάκωνες δὲ καὶ εἰς σ μεταβάλλουσι. — Et. M. p. 714, 29: τὸ θεός οἱ Λάκωνες σιός λέγουσιν. Cf. Athen. VIII p. 362 E. — Anecd. Oxon. I p. 197, 7: Λάκωνες τὸ θ μόνον εἰς σ τρέπουσιν, εἰ μὴ ἡ ἑξῆς συλλαβὴ ἄρχοιτο ἀπὸ τοῦ σ, συμός, σάλλω, σεός (corr. σιός).

Alcman *ἔσηκε*, *σάλλεν* in fr. 24, *σαλασσομέδοισαν* fr. 35, *σάλεσσι* fr. 66.

Aristoph. in Lys. *σιός* v. 81. 174 alibi, *μύσιδδε* v. 94. 981. 1076, *ἔλσῃ* v. 105 cf. v. 114. 1081, *Ἀσαναίων* v. 170 cf. 1244. 1250, *κυρσάνιε* v. 983. 1248, *Ἀσανᾶν* v. 980, *ὀρσά* v. 995, *σιγῆν* v. 1004, *σέλειν* v. 1080, *σέτω* v. 1081, *ἤνσει* v. 1257, corruptum cf. §. 5, *σηροκτόνε* v. 1262, *παρσένε* v. 1263. 1272, *Ἀσάναν* v. 1300, *ἀγασῶς* v. 1301.

Thuc. V, 77 *σιῶ*, *σύματος*.

Plutarchus saepissime *σιός* exhibet in formula iurandi *ναὶ* (*νὴ*) *τὼ σιώ*, quae solita fuisse videtur ad invocandos Dioscuros.

In tit. recentioribus sunt *Σιδέκτας*, *Σίπομπος*, *Σίτιμος*, *Σιμήδας* cf. §. 20, 13, *Σήριππος* in tit. 1260 B.

Hesychius multas eiusmodi glossas tradit, quarum maximam partem Valcken. ad Theocr. Adon. p. 277 sqq. collegit:

ἀγασίς· σφαῖρα, pro *ἀγαθίς*.

ἀνασεῖν· ἀναφέρεσθαι, pro *ἀναθεῖν*.

ἀκαλανσίρ· ἀκανθυλλίς παρὰ Λάκωσιν (cod. *ἀκκ.*), cf. *ἀκαλανθίς*.

ἀνσερισάσθαι· τὸ μόνον πρὸς τὸ πῦρ στῆναι· Λάκωνες, pro *ἀναθερίσασθαι*.

ἀπαλασίξαι pro *ἀπαληθίσαι* cf. §. 13, 1.

Ἀσαναίων πόλιν· τὰς Ἀφίδνας (cod. *Ἀσανέων*; em. Palmer.).

ἄιτασι· ἀνάστηθι· Λάκωνες, cf. §. 17, 7.

ἔξεσας et *ἔντεσας* pro *ἔξωθεν* et *ἔσωθεν* cf. §. 5, II, 2.

ἐσᾶμεν· ἐθεωροῦμεν· Λάκωνες et *σαμένα· θεωροῦσα* (cod. *σαωμ.*, em. Ahrens.), cf. *θάω* ap. Koen. ad Greg. Cor. p. 223.

ἐσιώθην· ἐθεώθην (cod. *ἐσώθην*; em. Schmidt.).

κάβασι· κατάβηθι· Λάκωνες.

κασάνεις· ἀνύεις· Λάκωνες (cod. *κασάρνεις*; em. Lobeck. Paral. p. 80 n. 17), cf. *καθανύω* in Bekk. Anecd. Gr. p. 14, 17.

κασέλλα· (sic! cf. *ἔλλα-ἔδλα*) *καθέδρα.*

κασελλατίαι. κάθισαι· Λάκωνες (cod. *κασελάτ.*), pro fingendo *καθελλάθισαι.*

κασαιρηόν· κάθελε· Λάκωνες (cod. *κασέρηνον;* em. Koen. ad Greg. Cor. p. 301), pro *καθαίρησον.*

κασεύδει· κοιμᾶται cod. *κασεύρει;* em. Guyet.).

μούσαξ pro *μύθαξ* cf. §. 7.

πάσορ· πάθος· Λάκωνες.

παρσουλακίρ pro fingendo *παραθυλακίς* cf. §. 7.

πισάκνα· πιθάκνη.

πίσορ· πίθος· Λάκωνες.

σαλία pro *θολία* cf. §. 8, IV.

σαμινά· θαμινά· συνεχῶς· Λάκωνες.

σεῖν· θεῖν et *σῆ· τρέχε* (cod. *τρέχει*), cf. §. 20. 5.

σερμοί· θερμοί.

σῆνα pro *θεῖνα* cf. §. 11, II, 2.

σηρίον· θηρίον.

σίαρ· θίασος· Λάκωνες, cf. §. 15, II.

σίγε· θίγγανε· Λάκωνες (cod. *σίγη;* em. Voss. ex ord. verbor.).

σίνιον· αἰγιαλός, a *θίς* derivatum, (sic. corr. cod. *σίμιον*).

σιόρ· θεός· Λάκωνες, cf. *σιάδες.*

σιοκόρος· νεωκόρος· θεοκόρος· θεραπευτὴς θεῶν.

σύλακον· θύλακον (cod. *σύλαιον*).

συλλίρ· θύλακος (cod. *σύλλιρ· θύλακον;* em. Schmidt.), cf. *θυλλίς.*

συνόσα et *ὠδόσα* pro *συνόθεν* et *ὠδόθεν* cf. §. 5, II, 2.

Haec fere omnia quae exstant exempla illius mutationis sunt; quibus totidem contraria opponi possunt, quorum *ϑ* constitisse videtur. Attamen certis finibus hunc morem circumscribere non possis; haec tantum praecepta ex traditis exemplis eliciuntur: *ϑ* non mutatur in *σ*, nisi vocali sequente; ea autem conditione tam in initio quam in mediis verbis. *ϑ* remanet: 1. si consona sequitur, cf. *Σταθμίθας* in Alcm. fr. 15, *θρικαδίσκα* fr. 18, *ἄνθρωπος* in Ar. Lys. v. 988, *ἀθρόον* ap. Hes. s. v. — 2. si litera *σ* antecedit, cf. *ἔσθεν* in Alcm. fr. 24, *ἔσθος* in Ar. Lys. v. 1096; — 3. si sequens syllaba a *σ* incipit, cf. *θέσθαι* in Alcm. fr. 87. 121, *θυρσάδδω* in Ar. Lys. v. 1313; — 4. si praecedens syllaba a *σ* incipit, cf. *συνθῆκα* in Ar. Lys. 1268; — 5. in terminationibus pass. et med. verborum, cf. *ὀμιώμεθα* in Ar. Lys. v. 183, *ἐμβαλώμεθα* v. 1096, *ἐσιώθην* ap. Hes. s. v.; — 6. sec. Ahrens. si *ν* antecedit; non recte, cf. *ἀνσερισάσθαι* et *ἀκαλανσίρ* ap. Hes. s. v., quamquam contradicunt *πεπόνθαμες* in Ar. Lys. v. 1098, *Κορινθία* v. 91, multa apud Alcmanem; sed Alcmanis usus regulam labefactare non potest, quum non solum dialectos permiscuerit, sed etiam in nonnullis cum Aristophane non consentiat, cf. *παρθένος* in fr. 1. 27 et *παρσένος* in Ar. Lys. v. 1263, *θεός* in fr. 25 et *σιός* in Ar. Lys. — Restant haec verba, quorum *ϑ* non mutatum est: Apud Alcmanem *Θεράπνα* fr. 2, *θίασος* fr. 37 cf. *σίαρ* ap. Hes. s. v., *θυγάτηρ* fr. 47, *ἐπιθάκα* fr. 53 cf. *ἔσηκε* fr. 24, *κιθαριστάς* fr. 73, *κιθαρίσδω* fr. 24; ap. Aristoph. *ἴθι* v. 1273 cf. *ἄττασι* et *κάβασι* ap. Hes. s. v., *ἔνδοθεν* v. 199 cf. *ἔξεσας* ap. Hes. s. v., *θάγω* v. 1256, *θεικέλοι* v. 1252 cf. *Σιμήδης.* Vides, quam incerta sit ratio mutationis.

Denique si tituli perlustrantur et antiqui et recentes, exceptis paucis nominibus propriis (cf. supra) semper *ϑ* exhibent, cf. *ἔθηκε, καθαίρων* in tit. 15 B., *Ἀθαναίᾳ, ἀνέθηκε* in tit. 71 L., alia. Quod ita excusatur, ut in titulis plebis mos non observatus sit, nisi in nominibus propriis, quae plebi peculiaria necessitatem quandam afferebant. Inde vero post Alcmanem quoque *ϑ* retentum esse, haudquaquam concludere licet.

§. 15. De consonae σ mutationibus.

Consonam σ Lacones vehementer odisse et quocunque poterant modo vitasse videntur. Itaque aut, ubi sine iure irrepserat, primam consonantem retinuerunt cf. §. 12, aut in ϱ vel in spiritum asperum mutarunt, aut temere abiecerunt cf. §. 18, II.

I. Facillima mutatio semivocalium σ et ϱ analogiis, quamvis sint diversi generis, in ceteris linguis non caret, cf. Bopp. V. Gr. I p. 42. Quibus autem conditionibus facta sit, arctius definiri non potest, quia neque auctores locupletissimi, Alcman, Aristophanes (praeter unum exemplum), tum tituli antiqui quidquam eiusmodi reliquerunt, et grammatici quoque tacent. Observatur igitur in fine vocabulorum, rarius in mediis, iisque semper sequente consona; ob hanc causam et quum simul παλαιόϱ, unicum illud exemplum in Ar. Lys. v. 988, ante γά locum habeat, σ in ϱ mutatum esse in solo concursu consonantium, non sine quadam probabilitate contendi potest. Hesychius satis magna multitudine verborum hunc morem Laconum ab oblivione servavit. Quae deinceps enumerare operae pretium est:

1. Nom. sing. I decl. exempla tradit haec:

δευτερίναϱ· ὁ μετὰ τὸ ὕδωϱ ἐπιχεθῆναι εἰς τὰ στέμφυλα οἶνος, cf. δευτερίας.

ἐξαιρέταϱ· ἁρπάγη ἢ ἅρπαξ πρὸς τὰ ἀντλήματα, pro ἐξαιρέτης.

ἐπιγελαστάϱ· ὁ καταγελῶν· Λάκωνες, pro ἐπιγελαστής.

καλλίαϱ· πίθηκος· παρὰ Λάκωσιν, pro καλλίας.

Κρονίδαϱ· πολυετής, pro Κρονίδης.

κτίταϱ· κτίστης (cod. κτίτεϱ; a voce κτίω deriv.).

λιγάνταϱ· εἶδος τέττιγος· Λάκωνες, pro fingendo λιγάντης.

μαχατάϱ· ἀντίπαλος, pro μαχητής.

παλλιχίαϱ· πεμμάτιόν τι παρὰ Λάκωσιν, pro fing. παλλιχίας.

2. Gen. sing. I decl.:

ἔναϱ· εἰς τρίτην· Λάκωνες, pro ἔνης.

ἐπέναϱ· εἰς τετάρτην· Λάκωνες, pro ἐπ' ἔνης.

ἀμαρκᾶϱ· ἀπ' ἀρχῆς (cod. ἀμαρύκαϱ; em. Koen. ad Greg. Cor. p. 282).

3. Accus. plur. I decl. suspectum:

πελήαϱ pro πελείας cf. §. 10, I, 2.

4. Nom. sing. II decl.:

ἀκκόϱ· ἀσκός· Λάκωνες, cf. §. 17, 6.

ἀτταφούλιστοϱ pro ἀσταφύλιστος fing. cf. §. 7.

βουαγόϱ· ἀγελάρχης· ὁ τῆς ἀγέλης ἄρχων παῖς· Λάκωνες, pro βουαγός.

γῶνοϱ· γωνία· Λάκωνες, pro γῶνος fing.

δαδῶχοϱ· λυχνία· Λάκωνες (cod. δαδώχωϱ), pro δᾳδοῦχος.

διαφοιγοιμόϱ· ὑπὸ Λακώνων ἐπὶ πάσῃ ἡμέρᾳ τῆς τῶν φιδιτίων σιτήσεως, pro διαφοιγοιμός fing.

ἑξικόϱ· ἑκτικός.

ἵπποϱ· τόν τε ἵππον καὶ τὸν τετράχαλκον καὶ τῆς ὄρνης τὸ στῆθος· Λάκωνες (cod. ἵπποποϱ).

κέμμοϱ· μέγα κῆτος.

κίττοϱ· ὁ κίστος· Λάκωνες (cod. κίττεα· ἄκιτος; em. Ahrens. II p. 72).

λοῖκοϱ· κέγχρος, pro λοῖκος.

μάκκοϱ· ἐργαλεῖον γεωργικόν, ὡς δίκελλα (cod. μάκοϱ; em. Voss. ex ordine verborum), pro βάσκος fing. cf. §. 16, II, 1. 17, 6.

μούρκοϱ pro μύρκος cf. §. 7.

νησσόϱ· νεοττός (cod. νῆσοϱ; corr. ex ord. verb.).

παιδίνορ· παιδίσκη, pro *παιδίνος, παιδνός*.

παλαιόρ· μωρός, pro *παλαιός* cf. Ar. Lys. v. 988.

πέλανορ· τὸ τετράχαλκον· Λάκωνες, pro *πέλανος*.

πίσορ· πίθος· Λάκωνες, cf §. 14.

σίαρ· θίασος· Λάκωνες, contract. ex *σίαόρ* cf. §. 20, 3.

σιόρ· θεός· Λάκωνες, cf. §. 14.

φούρκορ pro *φύρκος* cf. §. 7.

5. Nom. sing. III. decl.:

ἀαδέρ· ἀηδές.

ἀβώρ· ἠώς· Λάκωνες, cf. §. 4.

ἀγλευκέρ· αὐλὸς ἀγλευκής, ἀηδής· Λάκωνες. (Coniunxi duas glossas: *ἀγλευκέρ· αὐλός· Λάκωνες* et *ἀγλευκής· ἀηδής* coll. Polluc. IV §. 73).

Αἰγλάηρ pro *Αἰγλήεις* cf. §. 11, II, 1.

ἀκαλανσίρ pro *ἀκαλανθίς* cf. §. 14.

ἀκχαλίβαρ· κράββατος· Λάκωνες, procul dubio extrema pars est *ἀλίβας*, prior *ἄκχος* cf. Hes. s. v.

ἄλιρ· ὀξύβαφον, pro *ἄλις* fing.

ἀμπιτάρ· παραταιτομένη (cod. *ἀμπίτιαρ*), cf. *παραστάς*.

ἄππιρ· ὕσπληξ· Λάκωνες (Valck. ad Theocr. Adon. p. 187 C. *ἀσπίς* intelligit; Ahrens. II p. 77 coniicit *ἄπειρ* i. e. *ἄφεσις*; plebeiam formam videre mihi videor, ita ut *ἄπειρ* (*π* retinetur propter sequentem spiritum) celeritate loquentis eiecto *ε* pronunciatum sit geminato *π*).

βέλλιρ· τρυφάλια· Λάκωνες, pro *βέλλις* fing.

γέτορ· ἔτος, cf. §. 4.

γονάρ· μήτρα· Λάκωνες, pro *γονάς*.

δάρειρ· τὸ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου ἐπὶ τὸν μακρὸν διάστημα, pro *δάρεσις* cf. Schmidt. ad. Hes. s. v.

δειράρ· κορυφή, pro *δειράς*.

ἰθύρ· τὸ σιδήριον τοῦ ἄξονος τὸ τριβόμενον, pro *ἰθύς*.

ἰκμάρ· νοτίς, cf. *ἰκμάς*.

κόρυρ· θριγκός (cod. *θριγγός*), pro *κόρυς*.

μιργάβωρ pro *μισγήως* cf. §. 4.

νέκυρ· νεκρός· Λάκωνες, pro *νέκυς*.

νῖκορ· διαφορά (cod. *διαφθορά*), pro *νεῖκος* cf. §. 18, I, 2.

παγουλίρ pro *πηγυλίς* cf. §. 7.

παρσουλακίρ pro *παραθυλακίς* cf. §. 7.

πινακίρ· πινακίσκος.

πόρ· πούς· Λάκωνες, cf. §. 18, I, 5.

ῥιπίρ· ῥιπίς etc.

σάριρ· κλάδος φοίνικος· Λάκωνες, pro *σάρις* fing.

συλλίρ pro *θυλλίς* cf. §. 14.

τίρ· τίς· Λάκωνες, cf. Schmidt. ad Hes. s. v.

φούαξιρ pro fing. *φύασις* cf. §. 7.

6. Nom. plur. III decl.:

ζούγωνερ pro *ζύγωνες* cf. §. 7.

ζύγωνερ· τοὺς ἐργάτας βοῦς· Λάκωνες (cod. *ζύγονερ*; em. Ahrens. ex ord. verb. et praeced. glossa).

ἰχθυόνερ· ἰχθυαγωγοί, pro fing. *ἰχθυόνες*.

μώλυγερ· τὰ ἄνοζα ξύλα, pro *μώλυες* cf. §. 4.

πάσσαλερ· σφῆνας (cod. *σφῆκας*; em. Lobeck. Parall. p. 181, cui per metaplasmum pro *πάσσαλοι* dictum videtur).

φουλίδερ pro *φυλίδες* cf. §. 7.

7. Terminationum verborum unum exemplum idque maxime suspectum:

ἀπεσούτηρ· ἀπεσώθη· Λάκωνες. Hermannus De em. rat. gram. Gr. p. 294 non recte corrigit: *ἀπεσούτηρ· ἀπεσύθης*; nam *ἀπεσώθη* optime se habet coll. Hes. s. v. *σοῦται*; sed nescio, quid illi glossae faciam, quum *τ* pro *θ* positum non Laconicum sit; verum est *ἀπεσούθηρ· ἀπεσώθης*, sed nimis audacter mutatum.

8. Adverbiorum:

ἀπαβοίδωρ pro *ἀπαοίδως* fing. cf. §. 4.

βίῶρ pro *ἴσως* cf. §. 4.

Consonae in mediis vocibus mutatae exempla exstant:

μιργάβωρ pro *μισγήως* cf. §. 4.

μιργῶσαι pro *μίσγουσαι* cf. §. 11, II, 1 c.

μίρμα· ἐπὶ τοῦ κακοπινοῦς καὶ ῥυπαροῦ καὶ πονηροῦ; licet cognoscere radicem *μις* vocis *μῖσος*.

μούρταρ· πιλός, fortasse pro *μύστης*.

παρτάδες· ἄμπελοι· (cod. *παρτάδαι*; em. Salmasius coll. Hes. s. v. *παστάδες*).

Adde *Πελαργός* pro *Πελασγός*, quod Eretriensibus a Phrynicho adscribitur cf. Lobeck. Phryn. p. 109.

Bene novit hunc usum Laconum auctor decr. c. Tim., apud quem latissime patet cf. *Μιλέσιορ*, *τὰρ ἀκοάρ*, *τεταμέναρ*, *βασιλέαρ* aliaque; sed imitator nimio studio affectandae speciei Laconicae proditur.

Quum autem eadem mutatio apud Eleos et per eorum colonos apud Eretrienses valuerit cf. C. O. Müller. Dor. II p. 492, sequitur, ut Elei iam ante coloniam deductam eam amplexi sint neque recentiorem originem ei tribuere liceat. Qua re commoveor, ut ne a Laconibus quidem eam posteriore aetate receptam esse putem, etiamsi Alcmanis testimonio niti nequeo.

II. Linguae Graecae proprium fuit, genuinum *σ* in spiritum asperum mutare, praecipue in initio verborum, ut *ἕρπω* (serpo), *ὕλη* (silva), *ἑπτά* (septem) *ὗς* (*σῦς*, sus) etc., neque dubitandum est, quin etiam 2 pers. sing. praes. et imperf. pass. et med., aor. I et II med. terminationes ita natae sint (*η*, *εαι*, *εσαι*; *ου*, *εὁ*, *εσο*; *ω*, *αὁ*, *ασο*), quamquam eiecta quoque litera explicari potest. Hic mos, qui apud ceteros Graecos iam antiquitus suis finibus arctis circumscriptus erat, apud Lacones liberius prorupit, quum ii saepissime ad sibilum effugiendum in mediis vocibus spiritum substituerent;

eiusque rei participes Argivos, Pamphylios, Eretrienses, Oropios habent. Testes sunt grammatici[1]). Quam late patuerit mutatio, non liquet, quia rara sunt exempla aut contradicentia; ubicunque autem *σ* in spiritum transiit, inter duas vocales collocatum erat. Reliquum est, ut quaeramus, quando haec corruptio invaserit. Ahrensius aetate inter Alcmanem et Aristophanem sita eam incipientem facit, quam sententiam sibi firmare videtur, primum eo quod Alcman hac proprietate usus non sit, deinde quod ne coloni quidem Italiotae quidquam eiusmodi reliquerint; denique affert testimonia Etymologici Magni et grammatici cuiusdam in Anecd. Ox.[1]). Ut ab extremo eius argumento ordiar, Et. M. auctor, sicuti iam Giesius, Dial. Aeol., p. 315 vidit, sibi non constat, quum initio recentiori aetati mutationem tribuat, paulo post etiam Eretrienses eam usurpasse tradat; ex Peloponneso enim eam accitam esse, populorum nominibus cognoscitur: antiquis temporibus, quibus Eretrienses e Peloponneso discesserant, ille mos iam exstitit. Praeterea altera Giesii opinio, *μεταγενεστέρᾳ* fortasse congruere cum usu Dercylli, qui in fine nomi-

---

[1]) Cf. Apoll. Dysc. De syntaxi p. 319, 24: ibi disserit de spiritu in mediis vocabulis: ἀλόγων ὄντων ἢ ἀπὸ Λακωνικῆς διαλέκτου παρεισδεδυκότων εἰς τὰς ἄλλας διαλέκτους, ὑπὲρ ὧν ἐν τῷ περὶ πνευμάτων ἠκριβώσαμεν. — Et. M. p. 391, 12: εὔιος καὶ εὔσιος ὁ Διόνυσος· καὶ τὸ εἰς αὐτὸν ἐπίφθεγμα εὖσοι καὶ εὐοῖ κατὰ Λάκωνας· Δωρικῇ γὰρ διαλέκτῳ μεταγενεστέρᾳ κατ' ἔνδειαν τοῦ σ φασὶ γεγενῆσθαι εὔιος καὶ εὐοῖ καὶ εὐᾶν· ὡς γὰρ οἱ Ἀργεῖοι καὶ Λάκωνες καὶ Παμφύλιοι καὶ Ἐρετριεῖς καὶ Ὠρώπιοι ἔνδειαν τοῦ σ ποιοῦντες δασεῖαν χαράττουσι τοῖς ἐπιφερομένοις φωνήεσιν ὡς ἐπὶ τοῦ ποιῆσαι ποιῆαί (codd. ποίῆαι), καὶ Βουσόα Βουὅα, καὶ μουσικά μωϊκά· κέχρηται τούτῳ τῷ εἴδει τῆς δασείας καὶ Δέρκυλλος. — Anecd. Ox. I p. 278, 16: Λάκωνες μῶσα καὶ οἱ μεταγενέστεροι Λάκωνες ἄνευ τοῦ σ μῶά. — Idem dicit de omnibus Doriensibus:

Eustath. p. 844, 7: διασταλτέον δὲ τοῦ εἰρημένου κανόνος τὸ μῶά καὶ τὸ πάά, ὧν σημασία τὸ μοῦσα καὶ πᾶσα· ταῦτα γὰρ καὶ εἴ τι ἕτερον κατ' αὐτὰ οὐ παραλήγονται τῷ ἰῶτα τῆς παλαιοτάτης Δωρίδος ὄντα.

natur, aliquam speciem habet, quamquam mihi persuasum est, *μεταγενεστέρα* ad sola verba *εὐοί* et *εὔιος* pertinere. Atque Eustathius, id quod summum est argumentum, prorsus contrarium tradit, *τῆς παλαιοτάτης Δωρίδος* esse spiritum asperum pro *σ*; vix autem fieri possit, ut, quia exempla ab eo allata apud Aristophanem occurrunt, eum ex hoc scriptore hausisse arbitratus, *παλαιοτάτης* ad Aristophanis aetatem referam, quod audet Ahrensius; quare si iisdem armis petere licet, grammaticum in Anecd. Ox. Alcmanis et Aristophanis usum respexisse, meo iure assevero. Deinde colonis Italiotis oppono Eretrienses, Aeoles; nam consensus talis Doriensium et Aeolum antiquitatis certissimum documentum est. Denique Alcmanis usus rem decidere nequit, quia poetam lyricum hanc duritiam, hiatum dico, consilio vitasse, credibile est, ut licentiam dialectos miscentis silentio praetermittam; contra comicus pedestri semper sermone utitur. Postremo tituli in utramque partem faciunt: antiquus tit. 71 L. *σ* servat, aeque fere vetustus tit. 33 R. mutat. Et Lacones illa aetate, qua iam inter eos et ceteros Graecos commercium quoddam intercedebat, ad mutandum sibilum, quem ad id retinerent, adductos esse, verisimile non est. Prorsus alienum etiam a progressu dialecti videtur, quae a gravitate et asperitate ad mitiorem et faciliorem sonum descendebat. Ob eas causas iam ante Alcmanem antiquitus sibilum in spiritum asperum mutatum esse credo. —

Spiritum vero pronunciari non tantum, sed etiam, modo tituli recentiores, qui ne in initio quidem verborum spiritum praebent, excipiantur, etiam exarari solitum esse, certum est; nam tit. antiquus 33 R. *ΕΠΟΙΕΗΕ* (*ἐποίηἑ*) exhibet, et auctor Et. M. l. c. distincte dicit: *χαράττουσι δασεῖαν* scil. *Λάκωνες*. — Exempla literae *σ* ita mutatae reperiuntur haec:

Apud Aristophanem in Lysistrata: *πᾶἁ* v. 995, *πωτάὁμαι* v. 1013, *ὅρμαὁν* v. 1247, *χάϊος* v. 90. 1157 cf. Hes. s. v. *χάσιος* et s. v. *Ἀχαία*, ubi *Ἀχαία* et *ἁ χαΐα* confunduntur, *μῶἁ* v. 1249. 1297, *ἐκλιπῶἁ* v. 1297, *κλέωἁ* v. 1299, *Θυρσάδδωἁ* et *πάδδωἁ* v. 1313.

Apud Hesychium s. v. (quorum partem iam Valcken. ad Theocr. Adon. p. 276 collegit):

ἀγκάλαὁν· ἀνοῖξον (cod. *ἄγκαλον*; em. Koen. ad Greg. Cor. p. 343), pro *ἀναχάλασον*.

ἄππιρ pro *ἄφεσις* cf. n. I, 5.

βίὡρ pro *ἴσως* cf. §. 4.

βοῦἁ· ἀγέλη παίδων· Λάκωνες, fortasse pro *βουσόα*, *βουὅα* cf. Et. M. l. c.

γερωΐα pro *γερουσία* cf. §. 11, II, 1 d.

γίαἱ· ὀδυνῆσαι, pro *γίσαι* cf. §. 4.

δάρειρ pro *δάρεσις* cf. §. 15, I, 5.

δωὧ· δώσω et *δωσεῖ ἢ δωεἷ* (mutavi accentum) *·περιποιήσει ἢ παρέχει* (*παρέξει*?).

κασαίρηὁν pro *καθαίρησον* cf. §. 14.

κατ᾽ αἴἁνον· κατὰ τὸ πρέπον, pro *κατ᾽ αἴσανον* fingendo.

κασελλατίαἱ pro fingendo *καθελλάτισαι* cf. §. 14.

κραἅρα pro *κρησέρα* cf. §. 8, II.

λῆἱς pro *λῆσις* (rad. *λάω*) cf. gl.: *ληἱς· κτῆσις ἡ ἐκ τῶν λαφύρων καὶ βούλησις*; confunduntur *ληἱς* et *λῆἱς* pro *λῆσις*.

μῶἁ· ᾠδὴ ποιά, pro *μοῦσα* cf. Et. M. p. 391, 20.

μῴδδει i. e. *μωἵδδει* pro *μουσίζει* cf. *μῴδδει· λαλεῖ· ᾄδει* (cod *μωδεῖ*; em. Valcken. l. c.).

πουρδαἵον pro *πυρδαίσιον* cf. §. 7.

σαἅμα· σησάμη (cod. *σάλμα*), cf. tit. 1464 B.

σίαρ i. e. *σίαὁρ* pro *θίασος* cf. §. 14.

φοῦἱξ pro *φύσιγξ* cf. §. 6.

Grammatici tradunt *ποιηἁἱ*, *βουὅα*, *μωἱκά*, *μῶἁ*, *πᾶἁ* cf. nota.

Titulorum in n. 33 R. ἐποίηἑ, in n. 1250 B. Σώἁνδρος, in n. 1386 B. Κονοουῤέα et 1347 Κονοουῤέων cf. §. 7, in n. 1464 B. σαἅμων (bis) leguntur. Ceteri tituli σ semper servant, cf. ἐνίκασε, πᾶσιν etc. in tit. 71 L. aliaque.

Etiam Aristophanes interdum mutationem omittit, ubi eam nostro iure desideramus: πορπακισάμενος v. 106 sec. leges dialecti πορπακιξάμενος sonare debet; itaque Laconicum non est; ποιησώμεσθα v. 1006, παυσαίμεθα v. 1270, πείσομες v. 168, πείσειεν v. 171.

Adnot.: σ non mutatur, nisi genuinum est; quae contradicit glossa Hesychii: μόων· μόθων, cum Albertio sic explicanda est, ut μόθων correctio sit vocis μόων.

§. 16. De aliis consonantibus mutatis.

I. De consona ζ.

1. Pro ζ initiali Lacones nonnunquam δ usurpasse videntur, sicut Boeoti. Argumenta petuntur ex loco quodam Anecd. Ox.[1]) et ex probabili coniectura Bergkii δωμός i. e. ζωμός in Epil. Coral. (codd. δώδεμος). Ahrens. II p. 95 addit Hesychii δατέν, δάγκλον, δαλόν; at ipse in l. I p. 175, has glossas Boeoticas esse, testatus sibi non constat; neque revera Laconicae sunt, si quidem ad terminationem infinitivi verbi δατέν respicitur cf. §. 11, 3. Majoris momenti est documentum Etym. M.[2]), quo δυγόν et δωμός Doriensibus tribuuntur; nam ceterorum Doriensium nulli δ pro ζ assumpserunt. Adversantur sane ζύγωνερ et ζούγωνερ ap. Hes. s. v.,

[1]) Cf. Anecd. Ox. 325, 24: Καὶ γὰρ ὁ Ζεὺς παρὰ τοῖς Λάκωσι „Δεὺς“ λέγεται.

[2]) Cf. Et. M. p. 316, 56.

Ζωσιμᾶς in tit. 1279 B. et Ζανός in tit. 1313. 1314 B., quae tamen omnia recentioris temporis sunt; puriores fontes quaerentem destituunt.

2. ζ in mediis vocibus in δδ mutatur cf. §. 17, 2.

3. Alcman et Plutarchus in dictis Laconicis σδ pro ζ in mediis vocibus saepissime praebent; quos auctor decr. c. Tim. secutus est. Sed quum Alcman licentius in dialectorum usu agat, Plutarchus testis omnino contemnendus sit, auctores contra locupletes δδ tueantur, non dubito, quin ex Aeolica dialecto, cui illa mutandi ratio propria[1]) est, exempla petita sint.

4. ττ pro ζ, quod in uno verbo βλιμάττομες cf. Ar. Lys. v. 1164 conspicimus, Atticorum, non Laconum est cf. Lobeck. Phryn. p. 241.

II. Labiales mutantur:

1. β in μ, quod barbarum dicit Stephan. Byz. s. v. Ἀβάντις, sed apud Aeoles quoque interdum fit. Cf. Hes. gl.:

ἀμάκιον· ἄβαξ· Λάκωνες.

ἄμυσσος· κῆτος· Λάκωνες, pro ἄβυσσος.

μάκκορ pro βάσκος cf. §. 15, I, 4 et Hes. s. v. βάσκα.

In universum Graeci saepius haesitant inter μ et β cf. Lobeck. Pathol. p. 171.

2. π in μ ante vocalem α, cf. Hes. gl.:

ἀμάναν· ἅμαξαν· pro ἀπήνη; recte Laconibus h. gl. vindicat Koen. ad Greg. Cor. p. 292. Benfeyius II p. 202 Sanscr. „jamâna“ comparat.

ἀμαρκᾶρ pro ἀπ' ἀρχῆς cf. §. 15, I, 2.

ἀμφίμαστα· ψαιστά . . . ., ad quae verba Pergerus e sequentibus recte fortasse retraxit: ἄλφιτα μέλιτι δεδευμένα· Λάκωνες, pro ἀμφίπαστα.

[1]) Cf. Ahrens. I p. 47.

δολομάν· μαστροπόν· Λάκωνες cf. *δόλοπα· μαστροπόν* ap. Hes. s. v.

Etiam ap. Arist. Byz. s. v. *Θεράμναι* Laconica urbs vocatur, cuius nomen vulgare *Θεράπναι* fuit cf. Alcm. fr. 2.

Contrariam mutationem praepositio *μετά* patitur, cuius Lacon. forma est *πεδά;* sequens *ι* praecedenti tenui cessit cf. §. 27, I, 3. Nescio an recte Pott. Etymolog. Forschungen I p. 517 ed. alt. diversam radicem agnoscat.

III. Liquida *ν* pro *λ* usurpari ante *ι* et *ϑ* videtur; Eustathius[1]) enim inter alia exempla eius usus Doriensium *γέντο* i. e. *ἕλιο, ἕλετο* et *κέντο, κέλετο* ex Alcm. carminibus affert. Aetate post Alcmanem nihil eiusmodi invenies; *λ* semper manet cf. *ἔλσῃ* in Ar. Lys. v. 105 aliaque. Quum igitur haec mutatio apud alios Dorienses, ut Siculos, etiam recentiore aetate floruerit, contra Aristophanes eam ignoraverit, Laconibus abiudico.

IV. *δ* pro *γ* per universam Doridem inveniri, grammatici affirmant additis exemplis *δᾶ* et *Δαμάτηρ*, quorum illud in Ar. Lys. v. 198, hoc in tit. 1434. 1464 B. legitur. Sed neque *δᾶ* pro *γᾶ*, neque *Δαμάτηρ* pro *Γαμάτηρ* dictum esse, luculenter demonstrat Ahrens. II p. 8 , qui his vocibus eandem stirpem esse ac verbo *Ζάν*, iure arbitratur. Nihil efficit Hes. gl.: *διφοῦρα· γέφυρα· Λάκωνες*, quia *διφοῦρα* vocis radicem plane aliam esse, ac vocabuli *γέφυρα*, suspicandum est.

V. Cave credas, aspiratas *ϑ* et *φ* mutari, quia *φοίνα* pro *ϑοίνα* in Alcm. fr. 37 et *φήρ* pro *ϑήρ* in tit. 15 B. occurrunt. Aeolicae sunt formae, quae apud Alcmanem non offendunt cf. § 1; *φήρ* autem Boeckhii coniectura oritur; *ΨΗΡΑ* enim l. c. legitur, et in antiquis titulis *Ψ* signum literae *χ* esse solet cf. Boeckh. ad tit. 4. Titulus ipse nimis mutilatus

[1]) Cf. Eust. p. 756, 30.

est, quam ut certi quidquam proponi possit. Prorsus contradicit mos Laconum *ϑ* in *σ* mutandi cf. §. 14.

VI. Tenuis cum aspirata mutatur:

1. *π* cum *φ* in vocibus *ἀμπιττάρ* pro *ἀμφιστάς* cf. §. 15, I, 5, quamquam *ἀμπί* grammaticorum testimonio Aeolibus[1]) addicitur; deinde *Πόρκος* cf. Alcm. fr. 98 pro *Φόρκος*, altero nomine Nerei.

2. *κ* cum *χ*, cf. *ἀμαρκᾶρ* i. e. *ἀπαρχῆς* in §. 15, I, 2, *ἀγκάλαϭν* i. e. *ἀναχάλασον* in §. 15, II.

3. *τ* cum *ϑ* in decreto c. Tim., ubi reperiuntur *παρακλητείς*, *μίτω* i. e. *μύϑου*, *μεμψάτται* i. e. *μέμψασϑαι*, similia. Sed a Laconibus hoc alienum est, ut fontes incorrupti docent; *ϑ* in *σ* transire iubent aut retinent cf. §. 14. In Cretenses potius quadrare illam mutationem, uno exemplo scimus cf. Ahrens. II p. 83.

VII. Media *δ* in aspiratam *ϑ* mutatur, cf. *οὐϑέν* in tit. 2 K. Posteriore demum tempore haec mutatio in usum venit, non solum apud Lacones, sed etiam apud reliquos Graecos cf. Lobeck. Phryn. p. 181.

VIII. Aspirata *φ* in mediam *β* transisse videtur, cf. Hes. gl.: *βώνημα· εἴρημα· Λάκωνες*, sine dubio pro *φώνημα*. Itaque fortasse Laconica est gl.: *βῶροι· ὀφϑαλμοί* cf. *φῶροι;* adde Zonar. p. 413 et Suid. s. v.

§. 17. De assimilatione consonantium.

Assimilandi mos apud Lacones latius patet, quam apud ceteros Dorienses et Graecos universos neque ex ingenio po-

[1]) Cf. Ahrens. I p. 43.

puli duritias vitat. Praecipue vero a sequente consona ad praecedentem regreditur. Assimilatur enim:

1. *γ* sequenti *μ*, cf. *πούμμα* pro *πυγμή* ap. Hes. s. v. cf. §. 7.

2. j genuinum antecedenti *δ*, i. e. *ζ* (=*δ*j cf. §. 13) in *δδ* transit, cuius rei multa exempla exstant. Apud Aristophanem in Lys.: *γυμνάδδομαι* v. 82, *μυσίδδω* v. 94. 981. 1076 pro *μυθίζω*, *ποτόδδω* v. 206 pro *προσόζω*, *ψιάδδω* v. 1302, *θυρσάδδω* et *πάδδω* pro *παίζω* v. 1313, *παραμπυκίδδω* v. 1316. Deinde Hesychii testimonium superest, cuius tamen glossae quae huc pertinent omnes fere corruptae a Valckenario in Epist. ad Roever. p. 77 et ad Theocr. Adon. p. 289 emendatae sunt. Eas solas afferam, quae speciem veri prae se ferunt:

ἐκπετρίδδειν· παχύνειν ἱμάτιον· Λάκωνες (cod. *ἐκπετριαδεῖν*); exspectares terminationem Lacon. infinitivi *ην*, quam Hesychius ignorat.

κωμάδδειν· ὀρχεῖσθαι (cod. *κωμαδεῖν*).

λαδδοίατο· λαμβάνοιντο (cod. *λαδοίατο· λαμβάνοιτο*).

μουσίδδει· λαλεῖ· ὁμιλεῖ (cod. *μουσιαδεῖ*) i. e. *μυθίζει*.

μῴδδει· λαλεῖ· ᾄδει (cod. *μωδεῖ*) i. e. *μουσίζει*.

ὁμηρίδδειν· ψεύδεσθαι (cod. *ὁμηριαδεῖ*).

ὀρκίδδει· ὅρκον ποιεῖ ὀμνύειν (cod. *ὀρκίλλ . . . ὅρκον ποιεῖ*).

πλαγιάδδοντες· οἱ γυμναζόμενοι τῶν ἐφήβων (sic Valcken.; cod. *πλατειαδάοντες· οἱ γυμναζόμενοι τοῖς ἐφήβοις;* Ahrens. corr. *ἐν τοῖς ἐφηβείοις;* equidem malo: *ἐν τοῖς ἐφήβοις*).

προμάδδας· μάζας προμεμαγμένας (cod. *προμάλας*).

συμβουάδδει· ὑπερμαχεῖ· Λάκωνες (cod. *συμβουαδεῖ*); descendit a verbo *βοῦα* cf. Hes. s. v.

φαιρίδδειν· σφαιρίζειν.

φουάδδει· σωμασκεῖ (cod. *φουαδδεῖ*) cf. §. 7.

ψιάδδειν· παίζειν, cf. Ar. Lys. v. 1302.

3. *μ* sequenti *π* in *Γλυππία*, nomine vici Laconici, pro *Γλυμπία* cf. Paus. II, 22, 6, sicuti Cretenses *Λαππίοι* pro *Λαμπίοι* dicunt cf. Boeckh. ad tit. 2584.

4. *ν* antecedenti *μ* in *στοῦμμά* ap. Hes. s. v. pro *στυμνά* cf. §. 7.

5. *π* sequenti *λ*, cf. Hes. gl.: *ἀλλανής· ἀσφαλής· Λάκωνες*, i. e. *ἀπλανής*.

6. *σ* sequenti *κ*, cf. Hes. gl.: *ἀκκόρ· ἀσκός· Λάκωνες*. — *κακκός· ὁ μικρὸς δάκτυλος*, pro *κασκός* cf. Hes. s. v. — *μάκκορ* pro *βάσκος* cf. §. 15, I, 4. 16, II, 1; — deinde *διδάκκει* in decr. c. Tim.

7. *σ* sequenti *τ*, cf. Hes. gl.: *ἀμπιττάρ* pro *ἀμφιστάς* cf. §. 15, I, 5. — *ἀτταφούλιστορ* pro *ἀσταφύλιστος* fingendo cf. §. 7. — *ἄττασι· ἀνάστηθι· Λάκωνες*; (oritur sic: *ἀνάστηθι*, *ἄνστηθι*, *ἄστηθι*, *ἄττασι* cf. §. 5 et 14). — *κίττορ* pro *κίστος* cf. §. 15, I, 4. — *μύττακας· πώγωνα· Λάκωνες* (cod. *Ἴωνες πώγωνα;* em. Valcken. *μύττακα*) cf. *μύσταξ* ap. Hes. s. v.; — fortasse huc trahendae sunt glossae nomine dialecti carentes: *ἔττασαν· ἔστησαν* (cod. *ἔττακαν;* em. Ahrens.); — *ἐττία· ἑστία;* — tum huc pertinet *βεττόν* pro *βεστόν* cf. §. 4; — neque auctorem decr. c. Tim. haec res fugit, qui exhibet *μεμψάτται* pro *μέμψασθαι*, modo Lacones *θ* in *τ* mutare consuevissent.

8. *σ* praecedenti *ρ*, ut in *κάῤῥων* pro *κάρσων* (i. e. *καρτίων*, *κάρτjων* cf. Bopp. V. Gr. II p. 38); legitur in Alcm. fr. 83 et Plut. Reg. et imp. ap. (Brasidae matris) p. 229 n. 3; Inst. Lac. p. 294 n. 15; Lacaen. ap. (Argileonidis) p. 297; Lyc. c. 21; deinde in *χέῤῥων* pro *χέρσων* cf. Hes. gl.: *χέῤῥονα· τὴν χέρσον γῆν· Λάκωνες*.

9. *σ* sequenti *χ*, cf. Hes. gl.:

αἰκχούνα· αἰσχύνη· Λάκωνες (cod. *αἴκουδα;* em. Schmidt. ex ordine verborum).

ἐκχαρεών· μαγειρεῖον· Λάκωνες (cod. *ἐκχαρέων· μαγειρείων;* Schmidt. emend. et *Λάκωνες* e sequentibus mutilatis huc retraxit), pro *ἐσχαρεών*.

Sed hoc assimilationis genus nimis suspectum videtur, praesertim quum utrumque exemplum coniectura gignatur. Quamquam si Benfeyi[1] etymologias sequaris valde incertas, *κ* genuinum esse contendere possis.

Adnot.: Falsa igitur est regula Valckenarii ad Eurip. Phoen. v. 1671: „Literam *σ* Lacones in sequentem consonantem non liquidam mutant.“ Etenim *σ* ante aspiratas et ante *γ* nunquam mutatur; exempla passim occurrunt; deinde *σ* ante *β* retinetur cf. *πρέσβεις* in Ar. Lys. v. 1102, *πρέσβειρα* v. 86; saepius etiam *σ* ante *τ* remanet cf. *Κάστορα* in Ar. Lys. v. 206. 988, *κράτιστα* v. 1013, *βεστόν* cf. §. 4.

10. *τ* sequenti consonae in vocabulis cum praepositione *κατά*, cuius *α* eliditur, compositis cf. §. 27, I, 5.

Hae vero leges assimilationis non tantam vim habent, ut omnes consonantium coniunctiones, quas dixi, in omnibus verbis corripuerint; immo nonnulla tantum iis subjecta sunt, complura modo assimilationem subeunt, modo non, alia ex vulgari more pendent.

---

[1]) Cf. Griech. Wurzellexikon I p. 45. 39.

Compluribus rebus impeditus sum, ne totam quam prooemio promiseram commentationem ederem. Sed proximo tempore, quocunque potero modo, omnia quae desunt in publicum emittam.

Corrigenda:

Pag.	12	l. 13	extr.	pro	'Αγῆσθαι	lege	'Αγήσθαι.
„	15	„ 3	„	„	τ	„	ι.
„	20	„ 2		„	ἐδῶ	„	ἔδω.
„	24	initio	supple				ap.
„	27	l. 5	extr.	pro	Δάκωνες	„	Λάκωνες.
„	30	„ 10		„	ὑμνίομες	„	μογίομες.
					λοχνοφ.	„	λυχνοφ.
„	34	„ 18		„	figendo	„	fingendo
„	39	„ 18		„	pronuntiat.	lege	pronunciat.
„	43	„ 3	„	„	πριείρης	„	τριείρης.
„	47	„ 5		„	Fήλως	„	Γήλως.
„	49	„ 9	„	„	γεγοντία	„	γεροντία.
„	51	„ 17		„	ἵππαξις	„	καθίππαξις.
„	52	„ 16		„	coërcere	„	coërceri.
